LVIII
D
47.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVIII
D
47
NAPOLI

4ª

Bibliothecæ Colbertinæ.

SELECTA NUMISMATA ANTIQUA

Ex Muſeo PETRI SEGUINI, S. Germani Autiſſiodorenſis Pariſ. Decani,

EJUSDEM OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA.

Editio altera emendatior, & plurimis rariſſimis Nummis auctior.

CUI ACCESSERUNT

I. RAPH. TRICHETI DU-FRESNE ad P. Seguinum, de Nummo Catanenſi.

II. P. SEGUINI ad Raph. Trichetum du Freſne, de Nummo Britannico.

III. Ejuſdem SEGUINI Epiſtola ad Franc. Gottifredum, ſuper Dubiis quibuſdam ad Nummos Familiarum Rom. F. Urſini ſpectantibus.

IV. OCT. FALCONERII de Nummo Apamenſi Deucalionei Diluvii typum exhibente Diſſertatio.

V. P. SEGUINI ad Octavium Falconerium Nummus Regius.

VI. Ejuſdem SEGUINI Agathodæmon, ad Exc. Virum Jo. Bapt. Colbertum Regni Adminiſtr.

VII. Elegantiora Numiſmata Muſei Abbatiæ S. GENOVEFÆ Pariſienſis.

VIII. EZECH. SPANHEMII, de Nummo Smyrnæorum, ſeu de Veſta & Prytanibus Græcorum, Diatriba.

IX. JO. FOY-VAILLANT ad ſelecta P. Seguini Numiſmata Notæ & Obſervationes.

LUTETIÆ PARISIORUM,
Sumptibus JOANNIS JOMBERT, prope Baſilicam RR. PP. Auguſtinianorum, ſub B. Virginis inſigni.

M. DC. LXXXIV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

ILLUSTRISSIMIS ET ERUDITISSIMIS

REI ANTIQUARIÆ
STUDIOSIS PARISIENSIBUS

P. SEGUINUS S.

DIU *multumque dubitavi*, VIRI ILLUSTRISSIMI, *eſſetne mihi hoc antiquorum meorum numiſmatum ſpecimen in lucem edendum. Deterrebat meæ tenuitatis conſcientia; & docuerat qualiſcumque rerum humanarum uſus, quam periculoſa ſit alea, variis & ſæpius adverſantibus hominum ſententiis ſe permittere. Quamvis autem deſponſa mihi jam & prope certa gratia veſtra ſit, libellumque hunc a vobis officioſe excipiendum conſiderem: non defuturos tamen exiſtimavi, qui minus probarent, hominem ætate provectum, & pro vitæ inſtituto gravioribus addictum ſtudiis, ſuam in his elegantium hominum deliciis, induſtriam oſtentare, & captandæ cujuſdam ex iis glo-*

riolæ cupidum videri. Equidem iſta reputanti mihi ſæpius excidit ſtilus; ſed abjectum repetere, qua ſcripto, qua verbo, coëgiſtis. Locuples erit fidejuſſor Illuſtriſſ. LOMENIUS, *plena elegantiæ, plena humanitatis, qua me ante aliquot annos urgere inſtitit, epiſtola. Vos etiam teſtes appello,* VIRI ERUDITISSIMI, *& ſponſores eoſdem, qui pro veſtro, vel in me ſtudio, vel amore antiquitatis, utroque certe, muſei mei ludicra palam fieri voluiſtis. Eo vero lubentius morem geſſi, quod ſi quid in hoc opuſculo tolerabilius occurrat, vobis acceptum ferre poſſim & debeam: quippe tanquam delectum eorum, quæ a vobis ipſis condidici in Mercurialibus conventibus, quibus ædes meas, meque ipſum adeo cohoneſtare ſoletis.*

Hoc veſtro quaſi præjudicio, vel gratia potius indulgentiaque fretus, Græcos aliquot Latinoſque nummos, ex pluribus cujuſvis formæ, metalli, & argumenti, millibus ſelegi: qui, ſi Rhœmetalcis nummum, & paucos alios excipiamus, neque in alienis muſeis, neque apud autores noſtros antiquarios facile reperiuntur. Quod ſi ſuper eorum quibuſdam, pauca admodum nobis ſint cognita, non dimittendos tamen cenſuimus: tum quia confidimus ſaltem non ingrata & indecora fore, ingentia & famoſa nomina, raris numiſmatis inſcripta: tum quia novi aliquid forſan fert eorum explicatio, & de incertis ac obſcuris diſceptamus probabiliter, parati meliora, quam ſeſe primum offerent, amplecti. Neque

enim defuturos rei antiquariæ ſtudioſos arbitramur, qui de ipſis, quidquid nos latuit, edocere poſsint; in quo eruditiſsimorum fratrum Valeſiorum ſincerum affectum experti ſumus. Interim dum ope amica nos & alii ſublevent, æqui bonique conſulant quod nos delibamus, quaſi ea indicaſſe contenti, quibus larga & prope intacta, felicioris cujuſdam & laudatioris operæ ſeges, iis præbeatur. Sed neque data opera rem nummariam & monetariam tractare conſtituimus, immenſum opus & arduum magis, quam quod ſuſcipere, nobis per otium aut vires liceat. Et jam confecta res eſt a plurimis magni nominis viris, præteriti juxta & præſentis ævi, qui abunde omnes rem diſcuſſerunt. Eorum ego fundamentis ſuperſtruo, & liberalis oblectationis gratia, eos ſolum nummos carptim breviterque perſtringo, qui pluribus graviſsimis viris, muſeum noſtrum perluſtrantibus, rariores viſi ſunt, digniores que adeo quibus explicandis nonnullam operam tribueremus.

Neque diffiteor, ſupereſſe mihi non inferioris notæ aliquammultos, quos incidi pariter curaſſem, niſi conſtantiam in expectando meam, cælatores moris longioribus expugnaſſent. Bene autem, & mea, & lectorum, ſi qui futuri ſint, cauſa, quod creſcenti ſub manum opuſculo noſtro, & quam mihi propoſueram mediocritatem excedenti, cunctatione illa ſua modum attulerint. Quare tarditatem iis ſuam jam condono, & ſi quid ab iis præterea in cælando peccatum eſt, ut cum

ã iij

anteriores nummorum facies, in quibus Illuſtrium capita ſunt, ſiniſtrum ad latus; averſas ad dexterum, perperam aliquando collocarunt. Nummorum omnium magnitudinem, accuratiſſime quantum fieri potuit, repræſentari curavimus. Eam tamen, ut & metallum quo conſtant, deſignamus, majoris illuſtrationis gratia. Quod ad ſinceritatem attinet, VIRI ILLUSTRISSIMI, *ſuſpecta eſſe fides noſtra non poteſt, qui oculis veſtris, qui cenſuræ arbitrioque omnia permiſimus. Securi ſunt judiciorum omnium nummi noſtri, ex quo veſtris ſunt probati ſententiis, & ſinceri ac prototypi judicati; ipſi etiam Othoniani duo ærei, quos an hic exhiberem primo dubitaveram, tum quod Othonibus æreis minima aut nulla vulgo fides habeatur, tum ne minus æquus & fidelis in cæteris audirem. Sed pervicere prudentum amicorum conſilia & eventu certe feliciſſimo. Quippe paucis abhinc annis, Othonis ærei revixit & crevit autoritas, repertis apud Ill. & erud. viros Patavii Bononiæque hujuſmodi nummis, quibus ſuum in hoc opere locum tribuimus. Neque mediocrem vero commendationem ex eo ducunt editi a nobis nummi tum Othonis, tum Pertinacis, Marini, Zenobiæ, & alii nonnulli, quod cum ſuſpecti primum iis fuiſſent, qui ſcientiæ hujus principatum Romæ obtinent, ad eos tandem delati, ſuſpicionum nebulas omnes aſpectu ipſo facile diſcuſſerunt. Paucos fateor, non ita integros eſſe, & a vetuſtatis injuria conſervatos, atque etiam*

imperitioris artificis manu cuſos: ſed tamen in ectypis, ne apicem quidem ſuppoſititium induximus, tantaque religione egimus, ut ſicubi manca eſt inſcriptio vel fugientibus litteris dubia, ne voculæ quidem aut litterulæ, quanquam alioqui certa videatur, ſed punctorum interjectione vacuum ſuppleamus: quin & Thracum Regum nummos, barbaro, ut ſunt, typo delineari maluimus. Equidem rariores nummi, a vetuſtate nonnunquam arroſi, detritique cernuntur: nec abjiciendi propterea, ſed cari vel ſic habendi ſunt, præſertim extra Italiam, ubi minor eorum numerus pretium facit. Neque enim eadem cæteri conditione qua Romani ſunt, quibus cum eligendi copiam multitudo faciat, plures inſtruere licet integerrimorum numiſmatum ſeries, neque detrimenti quidquam a temporis diuturnitate paſſorum. Et egregias certe collegit Romanæ nobilitatis æque ac eruditionis decus, Em. Cardinalis CAMILLUS MAXIMUS, *in omni antiquitatum genere verſatiſſimus, cujus ego viri excelſam indolem, ac ſingularem urbanitatem ſummaſque in omni genere virtutes, pluribus abhinc annis ſuſpicere non deſii, ex quo mihi ad eum patuit aditus, conciliatore humaniſſimo viro Io. Petro Bellorio, qui & ipſe ſuam in re antiquaria peritiam, doctiſſimis in numiſmata, & Cl. Leonardi Auguſtini gemmas, notis exhibuit.*

Cæterum lucubratiunculam hanc quadripartito diviſimus. Nummos præmittimus ad profana numina per-

tinentes: deinde eos, qui ſunt Illuſtrium & Heroum proprii: tertio, quoſdam leviter attingimus, qui familias Romanas referunt, nec tamen eas ſolas quæ ſtante Republica claruerunt, ſed etiam priorum Cæſarum ævo: nec alio fere hic apponuntur ordine, quam quo in manus noſtras inciderunt. Tandem Imperatorum numiſmata quædam præcipua exponimus, ea fere qua imperaverunt ſerie: quam legem ne ubique ſervaremus, fecit nonnunquam argumenti ſimilitudo; quod in Trajani & Balbini nummis, Britannico ſuccedentibus, videre eſt. Simul igitur & continenter exhibentur nonnulli, quantumvis longo temporum disjuncti ſpatio; vel quod iiſdem in locis cuſi ſint, ut Cretenſes Tiberii & Trajani; vel quod poſteriores lucem afferre prioribus videantur, ut Antonini Pii & Trajani Decii numiſmata maxima, denario argenteo Trajani, cujus averſæ parti Dictynna inſculpta eſt. Hæc quantulacumque ſunt, VIRI ILLUSTRISSIMI, *ſi tanquam ſeriarum levamenta curarum, & obſervantiæ meæ pignus accipere dignemini, non omnino mihi periiſſe operam arbitrabor.*


SELECTA

SELECTA NUMISMATA
EX MUSEO
PETRI SEGUINI.

CAPUT PRIMUM.

Deorum Nummi.

SCENAM aperient paucæ veterum Deorum & Dearum icones, raris quibuſdam numiſmatis inſculptæ. Atque ut ſit ab Jove principium, nummum proferam, primo quidem intuitu contemnendum: nam ſi molem conſideres, parvulus eſt; ſi metallum, plumbeus; ſed ſi penitius introſpicias, latens in eo ſingulare quiddam animadvertes.



I. SERAPIS.

SERAPIDEM cernis modio inſignem, immo Jovem Serapidis vultu cultuque inſignem cernis. Quis enim neſciat Serapidem apud Ægyptios, eumdem fuiſſe atque Jovem, & Ammonem, & Ditem, & Solem, & Æſculapium, & Nilum qui

Lib.5.p.203. Αἰγύπτιος Ζεὺς apud Athenæum, & Jupiter Pharius

Lib.9.Epigr. 36. à Martiale denominatur?

Scis quoties Phario madeat Jove fuſca Syene.

De Jove, Dite, Æſculapio teſtatur Cornelius Ta-

Lib.4.Hiſt. citus: *Deum ipſum multi Æſculapium, quòd medeatur ægris corporibus; quidam Oſirim antiquiſſimum illis gentibus numen; plerique Jovem, ut rerum omnium potentem; plurimi Ditem patrem.*

Idem nobis innuunt nummi veteres, quorum unus erit inſtar omnium.



II. SERAPIS AMMON.

ÆREUS eſt primæ magnitudinis, & maximis qui *Medaglioni* ab Italis vocantur, pro-

ximus, atque in Ægypto ipſa cuſus, ut ex cælatura colligunt peritiores Antiquarii. Ab una parte præfert caput Antonini Pii cum inſcriptione, ΑΥΤ. Κ. Τ. ΑΙΛ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ ϹΕΒ. In averſa caput barbatum cum parte thoracis, ornatum pluribus prædictorum numinum inſignibus: in quibus ſanè præcipua Serapidis apparet perſona, ob calathum capiti impoſitum. Sed tamen Jovem ipſum à quo orſus ſum, ſaltem Ammonem, ſatis deſignat cornu arietinum: ut & Ditem patrem, atque etiam Neptunum, trifidum illud ſceptrum humero dextro appoſitum, cui etiam involuta ſerpens, ad Æſculapium pertinet: Solem ſeu Oſirim πολυμμάτην, corona radiata, clariùs quàm aſſertione ſit opus, explicat. Denique cornucopiæ Nili ubertatem & fœcunditatem deſignat.

Cùm igitur Serapis tot numina, & eorum dotes in ſe contineat, nil mirum ſi Monetarius, qui primum nummulum noſtrum in honorem ipſius procudit, in averſa parte ſolum inſculpſit verbum ΦΥΛΑΞΕ, hoc eſt, *conſervabit*. Doricum enim eſt φυλάξει pro φυλάξει. Vel certè ſignificat *conſerva*, ut ſit Imperativus à verbo φυλάξω, quod fiat à Futuro verbi φυλάττω. Neque enim novum eſt fieri Præſentia ex Futuris; ut apud Euripidem Hecuba, τί λέξεις; *quid dicis?* & alia ejuſmodi multa. Scilicet à Serapide, tanquam Jove omnium re-

rum potente, quælibet ſperabat bona; tanquam à Dite, divitias; à Sole vitæ autore, vitam diuturnam; ab Æſculapio, ſalutem corporis; à Nilo, uberiores proventus: quæ omnia conferunt ad uniuſcujuſque φυλακὴν & εὐτυχίαν. Idque juxta veterem inſcriptionem apud Gruterum, DEO INVICTO SERAPI SERVATORI. Potuit etiam levis iſte nummus, quaſi φυλακτήριος, geſtari & circumferri pro amuleto, ad avertenda quælibet mala, ut creditur de pluribus nummis, quos anguſtiori foramine pertuſos videmus, nempe ut collo vel brachio appenderentur.

pag. 85.

Ejuſmodi videtur eſſe quem ſubjicimus.



III. FORTUNA.

PLUMBEUS eſt tertiæ magnitudinis, habens ab una parte ſolitum Fortunæ typum, cum verbo SENTIAM. Ab altera inſcribitur FELICITER, quaſi felici & fauſto Eventui cuſus.

Sed ſi liceat ſacra profanis immiſcere, & eos audire, qui aſſerunt Joſephum Patriarcham ſub forma & nomine Serapidis adoratum ab Ægyptiis: cur non eis licuit in primo nummulo, ſub

ipſo verbo ΦΥΛΑΞΕ, ſperare ſalutem & conſervationem ſuam ab eo, quem Pharao *Salvatorem mundi* vocitavit, cùm prudentiam ſummam, quâ difficillimis temporibus annonæ copiam Ægypto providerat, miraretur? Cur non liceat etiam ſuſpicari Deum Opt. Max. qui bona ex malis elicit, idololatris iſtis etiam neſciis, permiſiſſe ut Joſephum venerarentur, non Joſephi causâ, ſed Chriſti veri hominum Servatoris, cujus hic figura & typus erat, præſertim cùm venerandæ crucis prænotionem aliquam Ægyptii Vates habuerint? Certè legere me, à quo Gretſerus accepit? memini, Theodoſio imperante, cùm fana Gentilium ejus edictis diruerentur, plurimos lapides in ruinis templi Serapidis repertos fuiſſe cruce inſignitos, adeò ut Gentiles dicerent, aliquid eſſe Serapidi commune cum Chriſto: ſeque à majoribus accepiſſe, inter litteras, quas vocabant ἱερατικὰς ſeu ſacerdotales, unam reperiri, quæ haberet crucis formam, nempe T, & apud peritos notarum hieroglyphicarum ſignificaret *vitam venturam*. Sed & qui Chriſtianam ad fidem convertebantur, ſe in arcanis habuiſſe narrabant, tamdiu colenda ſua numina, quoad viderent ſignum iſtud veniſſe, in quo eſſet vita. Addit Gretſerus ex Arabum ſententia, etiam in Serapidis pectore crucem pingi ſolitam. Unum hoc certò ſcio, Ægy-

Geneſ. 41.

Lib. 1. de ſancta Cruce.

ptios ſtatuas Iſidis hac ipsâ litterâ ſignare ſolitos: quod & probare peculiari argumento poſſim, & propriè meo; ducto ſcilicet ab antiqua ejuſdem Deæ ſtatua bipedali Ægyptiaco ex marmore, quam poſſideo, in qua Iſis dexterâ premit ſignum illud T, quod dextro ipſius lateri adhæret. Idem teſtatur luculenter Tabula Iſiaca Petri Bembi, in qua plurimæ ejuſmodi icones cum eodem ſigno depictæ ſunt. Locum habeat igitur φυλακτήειος nummulus noſter inter rariores; præſertim ſi jungatur cum majori illo Antonini Pii, cujus auctoritate fulcitur & declaratur.



IV Juppiter Labradeus.

SED quando varios Joves commemorare cœpimus, minimè prætereundus eſt, STRATIVS Juppiter ſive MILITARIS. Ejus copiam nobis facit maximum æreum numiſma, habens juvenile caput Getæ Cæſaris, cum inſcriptione ΠΟ. CΕΠΤΙΜΙΟC ΓΕΤΑC. In averſa parte templum tetraſtylon, cujus in medio ſtat larva quædam numi-

nis minùs familiaris, cum verbo ΜΥΛΑΑCΕΩΝ.

Mylaſa Cariæ urbem, in agro admodum opulento ſitam, refert Strabo, ejuſque vertici montem imminere, unde lapis albus abunde exſcinditur, ex quo pulcherrimæ porticus & templa condita ſunt. Iſtorum unum antiquiſſimum Jovi Stratio ſeu Militari dicatum erat in Labranda vico, LX. ab urbe ſtadiis ſito, ad quem ſtrata erat Mylaſis via, quæ ſacra ideo dicta eſt, quod per eam ſacræ pompæ procederent. Templi ſacerdotium, civium nobiliſſimi quique, per omnem vitam gerebant. In eo Jovis ſimulacrum, non ſceptrum aut fulmen dextrâ geſſit, ſed ſecurim bellicam, eo prorſus modo quo in noſtro nummo. Cujus rei cauſam hanc Plutarchus affert. Hercules, inquit, devictâ Hippolyte Amazone, præter alia ſpolia, ſecurim quoque illi ereptam, Omphalæ dono dedit: eaque inter cimelia Lydorum Regum, ad Candaulem tandem pervenit; quo devicto Gyges ſecurim in Cariam detulit, ibique extructo Jovis ſimulacro, illam in ipſius dextera collocavit, & LABRANDEUM, ſive, ut alii malunt, LABRADEUM Jovem appellavit: ſive, quod Plutarcho viſum eſt, à ſecuri, quam λάβρυν Lydi vocitant: ſive, quod Strabo mavult, à Labranda vico: ſive, quod refert Lactantius, à Labradeo Jovis hoſpite ac belli ſocio: ſive, quod

Lib. 14.

in quæſt. Gr.

Inſtit. lib. 1 c. 22.

Lib. 12. c. 30. de animal. ait Ælianus, ab imbre λάβρῳ, hoc eſt vehementi, quem illic Juppiter effudiſſet. Ejus ſtatuæ gladium appenſum ait Ælianus idem. Perinde autem nobis eſt, an gladium, an ſecurim geſtet: utrovis enim ſit armatus, *Stratius* ſeu *Armaris* æque appellari poteſt.

V. JUPITER INFANS. AB armato Jove ad imbellem obiter tranſeamus, qualem videre eſt in Trajani nummo. A parte capitis legitur, AYT. K. TPAIANOC. In averſa, ſtat figura muliebris ornatiſſima, alumnum ſiniſtro brachio gerens: pro pedibus ejus ad dexteram inſculptum eſt cornucopiæ, ad lævam aquila, cum inſcriptione mutila, KOINON KPHTΩN.



Facilis explicatu nummus iſte, ſola raritate & inſolito typo commendandus. Quem enim Jovis ales niſi ipſum deſignat Jovem? & cujus cornu illud fructibus refertum niſi Amaltheæ, à qua nomen accepit? Hactenus viſus eſt Juppiter infans,

capite

capræ dorſo inſidens, variis in nummis, quòd caprino lacte fingatur enutritus. Sed quantùm capellæ pręſtat regia virgo, tantò reliquis pręſtantius numiſma noſtrum. Facilè enim mihi perſuadeo etiam ex inſcriptione, figuram iſtam partis averſæ ornatu & majeſtate conſpicuam, alteram ex Meliſſi Cretenſium Regis filiabus oſtentare, quæ cum reliquis montis Idæ nymphis, Jovis educandi & cuſtodiendi curam ſuſcepere: cujus beneficii memor Juppiter, ubi adolevit, non ſolùm capram, cujus lac ſuxerat, cęleſtibus Signis intulit, ſed etiam ejus cornu regiis puellis dederat, hac lege, ut illis quidquid in votis eſſet, ſuppeditaret. Cætera apud Mythologos.

JOVEM ſequetur ſua Juno *& ſoror & conjux*, cum Diana Perſica & aliis quibuſdam aſſeclis minorum gentium, Hippona, Sorte, Cabiro. VI. MONETA SALUTARIS.



Juno, inquam, ſed Moneta, cum novo epithéto *Salutaris*. Illam exhibet denarius argenteus, ſimilis nummo ſecundo familiæ Cariſiæ apud Ful. Urſinum, in antica habens idem caput fœmi-

neum, cum verbo, MONETA; & in averſa inſtrumenta monetalia, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd loco nominis T. Cariſii Triumviri monetalis, expreſſa ſit illa dictio SALVTARIS.

Nemo neſcit Junonem cognominatam Monetam, vel propter vocem ex ejus templo auditam, quâ, cùm terræmotus factus eſſet, paulò ante Romam captam à Gallis, monebantur Romani, ut de ſue fœta ipſi procuraretur; vel quòd, ut ſcribit Suidas, in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, indigentes pecuniâ Romani, à Junone, cui ſacra fecerant, admoniti ſunt, ſi Juſtitiæ armis uterentur, pecuniam ipſis non defuturam: quod cùm feliciter ceſſiſſet, Monetam Junonem venerati ſunt. Hinc profectum, ut numiſma, id eſt moneta inſcripta, in ejus templo aſſervaretur.

Poſteriori ſententiæ libentiùs aſſentior, & in noſtro nummo tam Junoni Monetæ Deæ, quàm Monetæ ipſi pro numiſmate acceptæ, *Salutaris* nomen quadrare arbitror. Nam ſi Deam ipſam Monetam aut monentem ſpectes, C. Fabricius ipſius mandata ſervans, non minori æquitate & juſtitia, quàm virtute bellica effulſit, contra Pyrrhum dimicans. Cùm enim Regis Medicus ad ipſum miſiſſet, pollicitus ſe dominum ſuum venenata potione pertempturum, Fabricius tantum

ſcelus averſatus, perfidum apud Pyrrhum denuntiavit, & poſt aliquas pugnas cum ipſo, æquo & iniquo Marte commiſſas, tandem victoriâ & magnâ prædâ potitus eſt: ſicque cùm Juſtitiæ armis, juxta monitum Junonis, uſus fuiſſet, magnam vim auri & argenti adeptus eſt, cujus ope bellum confecit, & Monetam ipſam quovis modo ſumptam, *Salutarem* expertus eſt. In tanti ducis fortè memoriam & exemplum, quiſquis argenteum nummum cudit, cogitavit pecuniam eſſe nervum belli, & *Salutarem* Reipublicæ Romanæ, quæ armis tota nitebatur. Nec omittere poſſum proverbium Gallicum, licèt vulgatiſſimum, quo fertur nummos præſentes aptiſſimum ac ſaluberrimum eſſe cuilibet morbo remedium & pharmacum, ac proinde ſalutares dici poſſe.

NUMMUM ecce alium profero, æreum illum, parvumque, ſed integerrimum & exquiſitiſſimæ cælaturæ, habentem ab una parte caput Dianæ cum pharetra, & verbo ΠΕΡCΙΚΗ, ab altera aram cum foco, & inſcriptione ΙΕΡΟ-ΚΑΙCΑΡΕΩΝ. VII. Diana Persica.



DIANA hæc PERSICA, ut refert Plutarchus in Lucullo, trans Euphratem colebatur ſumma religione, cui ſacræ paſcebantur boves, nullo cuſtode, erantque tantummodo ſigno Deæ notatæ, nempe face vel lampade; ac nullis vinculis alligatæ, per totam regionem vagabantur, nulli uſui alteri quàm ſacrificiorum; nec facilè à quolibet detinebantur. Earum una ſponte ſua, Lucullo flumen cum exercitu tranſgreſſo facta eſt obviam, capite demiſſo, tamquam ſtaret ſub ſecuri, & continuò ad fauſtum omen immolata eſt. Addit doctiſſimus Lilius Gyraldus ex Plinio & aliis, Caſtabalis Ciliciæ oppido, *Perſicæ Dianæ* templum fuiſſe tantæ religionis, ut in eo dicatæ virgines, continuo quodam miraculo ſeu, ut meliùs dicam, faſcino, ſuper prunas nudis pedibus deambularent, innoxiè. Sed & Pauſanias refert præcipuo honore cultam fuiſſe *Dianam Perſicam* apud Lydos, & celeberrima templa illi erecta Hypæpis & Hierocæſareæ; cujus poſtremæ teſtis *Ann. lib.* 4. eſt indubitatus nummulus noſter. At Corn. Tacitus loquens de jure Aſylorum, quod ſibi vindicabant plures Aſiæ & Inſularum civitates, quibus modus præſcriptus eſt à Senatu, ad coërcendam licentiam & impunitatem Aſylorum, ac ſeditiones populorum, qui prętextu pietatis in Deos, flagitioſiſſimos quoſque ad templa confugientes

protegebant : inter alios populos ; qui de jure Aſyli contendebant, memorat *Hierocæſareenſes* noſtros, qui Senatui expoſuere, *Perſicam apud ſe Dianam, delubrum Rege Cyro dicatum: & memorabantur Perperna, Iſaurici, multaque alia Imperatorum nomina, qui non modò templo, ſed duobus millibus paſſuum eandem ſanctitatem tribuerant.*

ALter ecce ęreus ſecundæ magnitudinis, ab una parte LIBERAM referens facie & nomine; ab altera HIPPONAM, item cum ſuo nomine. VIII. HIPPONE.



De Libera trita ſunt omnia ; Hippona non ita vulgaris. Hanc ut Deam equorum & ſtabulariorum antiqui venerati ſunt. Tertullianus: *Vos tamen non negabitis jumenta omnia, & cunctos canterios cum ſua Hippona coli à vobis.* Ante ipſum cecinerat Juvenalis: *in Apol.* *Sat. 8.*

——— *jurat*
Hipponam, & facies olida ad præſepia pictas.

Alii *ſolam Hippo* in verſu ponunt. Eponam mavult Vir eruditus, ex MS. codd. Sed Hippona equorum tutelæ, & Numinis officio magis con-

gruens, ideoque potior videtur inter varias ſcriptorum librorum& excuſorum lectiones. Ejuſdem Viri cl. conjecturæ de Colonia Hippone regio libenter aſſentirem, ſi aut Colonia Hipponenſis alibi cum roſa videretur, aut caput illud muliebre turritum eſſet; quales ſunt Urbium & Coloniarum icones in nummis. Neque diſſentiam omnino, ſi alluſiſſe Monetarium velit ad Coloniam Hipponenſem, & hæc numina, dummodo Liberam & Hipponam à nummo non expungat. Cæterùm HIPPONE non hîc in ſexto caſu, ſed in primo æquè ac Hippona dici poteſt.

Ipſius effigies in ſtabulis collocabatur, ut appoſitè deſcribit Apuleius. *Lib. 2.* *Reſpicio pilæ medio quæ ſtabuli trabes ſuſtinebat, in ipſo meditullio, Hipponæ Deæ ſimulacrum, reſidens ædiculæ, quod accuratè corollis roſeis recentibus fuerat ornatum.* In noſtro certè nummo ſiniſtra manu roſam geſtat, nempe ut roſarum odore fœtor ſtabuli levari poſſit.

IX. SORS.

SEquitur SORS in æreo nummo mediocri depicta.



Quid enim aliud caput illud juvenile fœmineum repræſentaret, cùm ſimile ſit omnino capiti item fœmineo, quod Fulvius Urſinus expoſuit in Familia Plætoria ſub nomine Sortis? Litteræ autem C S, quæ ordine inverſo Senatuſconſultum deſignarent, quid hîc ſignificant, niſi *Caſum* & *Sortem?* quæ quidem duo confundit ipſe Cicero, & uſurpat pro fortuna, his verbis. *Quid enim Sors eſt? idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras; quibus in rebus temeritas & caſus, non ratio, nec conſilium valet.* Sed & iſti tali in averſa nummi parte poſiti, cum M. Tullio mirificè conveniunt. Quatuor enim ſunt oſſicula quadrilatera, quibus luſitabant veteres, ut manifeſtè inſinuat inſcriptio noſtra rariſſima: QVI LVDIT ARRAM DET QVOD SATIS SIT. Quod ad *Arram* pertinet, quæ in nummo ſine aſpiratione cęlata eſt, ſuſpicor ab antiquis idem obſervatum in ludo, quod noſtris temporibus ſervatur in eo, quam *Primam* vocitamus, ut videlicet cuncti ludentes, in procinctu certam & numeratam pecuniæ ſummam exhibeant, quam recipere non liceat ante ludum conſummatum, quod nos *cavare* dicimus Itala dictione. Annon etiam pro *Arra*, in manus magiſtri ludi deponebatur ea ſumma, quæ reſponderet notis & tabellis quibuſdam ab eo acceptis, pro certa pecu-

Lib. de Div.

niæ ſumma, quibus pauculis ingens argenti pondus deſignabatur, ut jactura levior appareret: ingenioſo lenimento, uſquedum relatæ & repręſentatæ tabellæ pecuniam amiſſam exigerent.

X. CABIRUS.

PRodibit tandem CABIRUS, ſive Deus, ſive Dęmon, ſive Deorum Miniſter, ſecundùm varias antiquorum opiniones. Hunc exhibet nummus æreus ſecundæ magnitudinis ſtantem, ſeminudum, dextrâ incudem aut clavim, aut aliud quidpiam cognitu difficile; ſiniſtrâ malleum geſtantem, cum nomine ipſo ΚΑΒΕΙΡΟϹ.



Cogit me malleus iſte ab eorum ſtare partibus, qui Cabiros Vulcano & Cabera Protei filia genitos ſentiunt, & ignis uſum atque æris ferrique fabricam homines docuiſſe. Scio hæc ab aliis ad Telchinas aut Idęos Dactylos referri: ſed Telchines & Idęi Dactyli, & Cabiri, immo Curetes & Corybantes, iidem ſunt ex plurimorum ſententia, in quam libentiùs abeo; & ex varietate locorum in quibus degebant aut colebantur, opinor diverſa ſortitos eſſe nomina. Non enim in Creta

Creta ſolùm, ubi Jovis educatores habiti ſunt Curetes; vel in Phrygia, ubi Magnæ Matris miniſtri & aſſeſſores ab Ida monte Rheæ dicato Idęi Dactyli: ſed etiam in Samothrace, Imbro, & Lemno (in qua Vulcani officina) colebantur. Certè Theſſalonicenſes (apud quos cuſus eſt noſter nummus, cum capite muliebri turrito, quod urbem ipſam Theſſalonicam deſignat, addito verbo ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΗ) hiſce inſulis ſunt vicini. Sub quolibet igitur nomine haberi velimus hos Semones, plurima ad vitam utilia excogitaſſe dicuntur. Primi omnium, ſi Diodorum audiamus, *Lib.5.p.230.* greges coëgerunt, & reliqua pecora manſueſcere, mellis uſum & venationem induxerunt, & homines ad civilis & communis vitæ diſciplinam inſtituerunt. Enopliam & Pyrrhicham ſaltaverunt armati, unde fortè Corybantes ſunt appellati à galea, quæ Gręcè *κόρυς* dicitur.


XI. DAMNANEUS.

EQuidem nummum æreum Gręcum primæ magnitudinis habui, Antonini Pii, qui in averſa habet figuram equeſtrem ornatam galeâ, quam Corybantis alicujus exiſtimo. Conjecturæ locum dat Lilius Gyraldus. Enumerans enim Idęos Dactylos, qui & Corybantes ſunt Straboni, unum eorum Damnaneum vocat; quod nomen in meo nummo reperitur, etſi aliquantò

contractius: pro ΔΑΜΝΑΝΕΥC enim, vel, ut alii meliùs, ΔΑΜΝΑΜΕΝΕΥC, habet ſolùm ΔΑΜΝΕΥC, duplici minùs ſyllaba, ut videre eſt in ectypo hîc appoſito.



XII. CELMUS. SEd & alterius Idęi Dactyli nomen me reperiſſe autumo, in æreo ſecundæ magnitudinis, qui exhibet caput barbatum, crinibus incultis, cum verbo ΚΑΛΜΟΣ. Dubitavi aliquantulùm, an legendum eſſet ΚΑΔΜΟΣ; ſed caput illud horridum, nullatenus heroïcum eſt, nec Cadmo Thebarum conditori convenit: ſiquidem Heroës utplurimum juvenes & imberbes in vetuſtis monumentis viſuntur. In averſa cernitur figura nuda ſtans, quæ dextro brachio ad renes inflexo, lęvo puerulum pelli ferinæ inſidentem geſtat, cum inſcr. ΚΩΙΩΝ.



Leguntur Phoronidis carmina, quæ ab Apollonii enarratoribus afferuntur, in quibus tres Idæi Dactyli enumerantur, interque eos unus nomine *Celmis*, quem Ovidius Celmum appellat: *Metam. 4.*

Te quoque nunc adamas, quondam fidiſſime parvo
Celme Jovi.

Ejus figuram eſſe reor in averſa noſtri nummi, quam Herculis, qui frequens in Cois nummis, primo ſtatim aſpectu ſuſpicatus eram: ſed deeſt illi clava; & pellem ſiniſtro brachio involutam, non leonis eſſe, verùm tigridis aut pantheræ, argumento eſt minutius animalis caput ab ea dependens. Sed & Hercules apud Diodorum nominatur inter Cabiros. *Lib. 5. p. 230.* Eadem eſſet igitur in averſa parte integra ipſius Dactyli figura, cujus ſolum caput, cum vero nomine ΚΑΛΜΟΣ, hoc eſt CALMUS, viſitur in anteriori. Nec mirum antiquiſſima hæc & fabuloſa nomina, poſt tot retro ſæcula, non uno eodemque modo à librariis, imò ab autoribus ipſis repræſentata eſſe. Danda vetuſtiori & propè conſepultæ memoriæ venia. At ſecurior profectò ex numiſmatis ipſis, tanquam prototypis, rei veritas colligitur. Cæterùm Dactylus ille Celmus aut Calmus Jovis, quem ſiniſtrorſum geſtat adhuc puerulum, nutritius habitus eſt, ab eoque multùm adamatus, uſquedum Saturno expulſo, cùm Jovem ipſum

mortalem eſſe dixiſſet, ab eo in adamantem, aut, ut aliis placet, in ferrum converſus eſt. Quidam expulſum ferunt, quòd Rheam Deorum matrem ſtuprare aggreſſus eſſet. Cur autem ſignati Cois in nummis Idæi Dactyli, qui in Aſia Minori propriè dicta colebantur? eam, opinor, ob cauſam, quòd cum Aſiæ continenti versùs Doridem Cos inſula vicina ſit, ad eam propinqui littoris religiones non difficili trajectu commearint. Quicquid ſit, ſub Cabirorum nomine plurima dicata ſunt templa, quorum è numero celeberrimum in Ægypto fuit Herodoto teſte, quod ingredi nemini niſi Sacerdoti fas erat. Illud tamen Cambyſes evertit & incendit, quamvis Cabirorum iras & indignationem hominibus inexorabiles aſſerat Pauſanias. Quippe non impune tuliſſe milites Mardonii Perſæ, qui in Bœotia ſtativa habuerunt Xerxis ævo. Cùm enim eorum quidam Cabirorum ædem introiſſent, vel prædæ cupiditate, vel numinis contemptu, ſubitâ correptos inſaniâ, partim in mare ſe abjeciſſe, partim è præruptis rupibus præcipites ſe dediſſe fabulantur. Nec minores luiſſe pœnas Alexandri Magni milites, qui agrum Thebanum devaſtantes, in idem fanum irruperant, & fulminibus, aut è cælo miſſis ignibus exanimatos. *Tantæne ullis Semonibus iræ?*

Neque ſilendus hîc SILVANUS Cabiro improbitate nil diſſimilis; quippe quem D. Auguſtinus mulieribus inſidiantem deſcribit. Stat in nummo plumbeo tertiæ magnitudinis, falcem putatoriam, ſive, ut aliis placet, damæ vel alterius animalculi caput cum collo dextrâ gerens, lævâ pedum paſtorale, cum verbo SILVANI. In altera parte viſitur ara ignita, & inſcript. HERMEROTIS.

XIII. SILVANUS

L. 6. de Civ.



Silvanum à ſilvis quas incolit denominatum, agrorum & pecorum Deum, antiqui venerati ſunt, ut ex pluribus veteribus inſcriptionibus apud Gruterum videre eſt; in quibus, *Deus*, *Dominus*, *Sanctus*, *Sanctiſſimus*, *Cæleſtis*, *Cuſtos*, *Salutaris*, appellatur; eique templa dicantur, dona offeruntur, vota ſolvuntur, gratiæ aguntur, etiam pro ſalute itus & reditus Imp. Cæſaris Auguſti, deinde Antonini Pii & aliorum. Quibus omnibus addi poteſt Virgilianum iſtud:

Silvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos,
Arvorum pecorumque Deo, lucumque diemque.

Ejus tamen petulantiam vix effugere mulieres, etiam adhibitis cuſtodibus, poterant, ut jam laudatus S. Auguſtinus teſtatur his verbis: *Mulieri fœtæ poſt partum, tres Deos cuſtodes Varro commemorat adhiberi, ne Silvanus Deus per noctem ingrediatur & vexet, eorumque cuſtodum ſignificandorum causâ, tres homines circumire limina domus.*

L. 6. de Civ.

Quod autem ad Hermerotem attinet, an Dei ſit nomen, cui ara dicata, an verò ejus qui aram erexit, dubitandi locus. Hermeros enim potuit eſſe numen aliquod, ex Mercurio & Cupidine conflatum, quemadmodum Ερμαθηνά ex Mercurio & Minerva; Ερμηρακλης ex Mercurio & Hercule, nimirum ob dotes utrique communes: nam & Mercurio Minervæque id æquè tribuebatur, ut ſermonis, fori, mercaturæ, palęſtræ Præſides eſſent; & Mercurio Herculique, quòd oris uterque facundiſſimi haberetur, quòd uterque coleretur in palæſtris, quia, ut ait Phurnutus in Mercurio, *robur rationi comes eſſe debet:* ideoque caput Herculis Termino ſeu Hermæ imponebatur. Mercurius igitur & Cupido, in una eademque ſtatua fortè & ara culti ſunt ſub nomine *Hermerotis*, quòd in re œconomica convenirent. Neque enim res domeſticæ, quibus præeſſe Mercurius dicitur, bene cedunt, niſi cum pace, concor-

dia & amore adminiſtrentur.

Quòd ſi mavis Hermerotem eum eſſe, qui aram in Silvani honorem & cultum dicavit, plures ejus nominis reperies in antiquis monumentis, præſertim apud Gruterum, ubi laudatur *Hermeros* quidam *Officinator monetæ,* ſub ævum Augusti; cujus munus & officium in memoriam mihi revocat, aureum apud me nummulum Imp. Mauricii non contemnendum, nec indignum profectò cui locus hîc daretur, niſi jam illum edidiſſet in lucem eruditiſſimus & nobiliſſimus N. *Buterovius*, Regis Chriſtianiſſimi in ordinandis monetis Conſiliarius, in ſua de iiſdem Monetis accuratiſſima Diſſertatione. Sufficiat igitur hîc annotaſſe, in eo mentionem fieri officinæ monetalis Viennenſis, hac inſcr. quæ legitur in averſa parte, VIENNA DE OFFICINA LAVRENTI. & in area nummi, globulo impoſitum eſſe monogramma Chriſti inter A & ω. Sed ut ad Hermerotem regrediamur, alium apud eundem Gruterum reperies, qui inſignitur HERMEROS AVG. LIB. A LIBELLIS: atque alterum cum hac epigraphe, HERMEROTI. VICARIO. SVO.

pag. 74. n. 1.

pag. 587. n. 9.

LVPERCVS. SVBVILLICVS.
HORTORVM. ANTONINIANOR.
BENEMERENTI. FECIT.

Quòd ſi in tanta vetuſtatis caligine intermicare

aliquid poteſt, ex quo divinare liceat, faciet ruſticum illud officium poſtremi Hermerotis, ut ei nummum noſtrum tribuendum ſuſpicer. Quid. enim magis conſentaneum, quàm ut ad armorum pecudumque Deum, ſubvillici vicarius ille, arâ poſitâ confugerit? Sed modus eſto conjecturæ, neque tam exiguis ſuſpicionibus de rebus obſcuriſſimis decernamus.

XIV. NUMMUS MYTILENÆUS.

CUm de nummis agamus, qui quodammodo Deorum ſunt proprii, non prætermittendus mihi videtur inſignis iſte Mytilenæorum æreus primæ magnitudinis, præferens ab una parte caput muliebre turritum, cum inſcriptione, ΠΡΩΤΗ ΛΕCΒΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΗ. In averſa videre eſt quaſi conventum aut concilium Deorum, his additis verbis, ΟΜΟΝΟΙΑ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ.



Frequens in nummis Græcis reperitur dictio, ΟΜΟΝΟΙΑ, per quam unaquæque gens aut civitas, ſocietatem aliquo fœdere junctam cum vicinis

cinis urbibus deſignabat, adhibitis Numinum iconibus, quæ in ipſis colebantur. Sed in nullo alio memini me videre tot figuras. Quinque etenim in noſtro numerantur, quarum media ſedet Cybele Deûm mater, quæ in Phrygia, & circumpoſitis minoris Aſiæ partibus, in magna veneratione habebatur, ut etiam apud Mytilenęos; quippe quæ ſępius in eorum occurrat nummis, & primas in hoc noſtro teneat. Vir Cl. ex ſceptro quod manu gerit, de Junone & Ὁμονοίᾳ Samiorum interpretatur. Sed Junonis Samiæ, quæ & Pronuba dicitur, habitus omnino diverſus: à capite nimirum ad pedes velata expanſis brachiis pingitur. A dextris Cybeles ſtat cum angue & baculo Æſculapius Pergamenorum patronus, cui adſtat Dea quædam, ſiniſtrâ demiſsâ ſiſtrum tenens, Iſidis ſymbolum perpetuum: niſi malis eſſe rhombum cum figura ſua quadrilatera oblonga, Hecates Byzantiorum Numinis inſigne, quo tortis filis confecto, maleficæ quondam mulieres ad deducendam Lunam abutebantur. A ſiniſtris Cybeles locum occupant Diana Epheſina cum ſuis mammis ac fulcris; & Nemeſis, adjunctâ ſibi ad pedes rotâ, qualem videmus in quibuſdam Smyrnęorum nummis cum Hecate ſola comite. De tot Numinum inſignibus plura dicere ſuperſedeo, quæ à Syntagmatum autore Lilio Gyraldo

uberiùs enarrata, ſi cui tantum eſt otii, reperiet. Mihi ſatis ſit in lucem edidiſſe elegantiſſimum numiſma, cujus ne typum quidem alibi videram.

CAPUT II.

Illuſtrium Nummi.

PROXIME ad Deos accedunt Heroës, Reges, urbium Conditores, qui civilem vitam inſtituerunt. Plures Jo. Faber inter Illuſtrium F. Urſini imagines nobis exhibuit: aliqui tamen ipſum fugerunt utriuſque ſexus.



I. CYZICUS. PRimum inter eos CYZICO locum dabimus, qui olim ad oram Propontidis regnavit, & ab Argonautis ad vellus aureum pergentibus, incautè occiſus eſt. Ipſius vultum juvenilem ac venuſtum, capite diademato, refert no-

ſter nummus æreus ſecundæ magnitudinis, cum nomine ΚΥΖΙΚΟϹ. In averſa viſuntur duæ tędæ ſerpentibus involutæ, quarum in medio ara cum foco. Inſcriptio ſic legitur, ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

Ille igitur ipſe Cyzicus Rex in antica nummi parte ſculptus eſt, qui nomen ſuum indidit urbi tantæ inter Aſiaticas Gręcas famæ, ut à Jove in dotem Proſerpinæ datam afferat Appianus Alex. *in Mithrid.* quemadmodum & fabulantur Poëtæ, Siciliam in Plutonis & ejuſdem Proſerpinæ nuptiis, novæ nuptæ ab eodem Jove donatam, pro anacalypteriis, quæ ſunt exhibita ſponſę munera, cum retecta primùm facie, in virorum conſpectum prodit. Cyziceni itaque Proſerpinam ſummo cultu proſequebantur, pręomnibus aliis Numinibus. Nec ipſi ſoli, ſed etiam Sardiani, quorum geminum numiſma hîc obiter ex ſcrinio meo repręſentari, non ingratum antiquę rei ſtudioſis fore reputo; pręſertim cùm plurima ad Deam pertinentia, in utroque videantur.

PRimum ęreum eſt & maximum, in cujus antica parte caput muliebre cum velo, ſub quo corona ſpicata cum papaveribus cernitur, hac pręgrandi inſcript. ϹΑΡΔΙϹ. ΑϹΙΑϹ. ΛΥΔΙΑϹ. ΕΛΛΑΔΟϹ. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. *Sardis*, *Aſiæ*, II. PROSERPINA.

Lydiæ, Græciæ, prima metropolis. In averſa Pluto



in quadrigis, caput velo volitante circumdatus, ſuæ divinitatis ſymbolo, ſiniſtrâ ſceptrum tenet, dextrâ Proſerpinam rapit. In aëre volitat Cupidinis larva quædam; ſub pedibus equorum jacet vaſculum: annon quaſillus Proſerpinæ, aut calathus floribus colligendis, quibus abundabant prata Ennenſia, ubi ſpatiabatur ΚΟΡΗ, tum cùm Ditis thalamo digna viſa eſt? Inſcribitur nummus, ΕΠΙ CΟΥΛ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ ΑCΙΑΡΧ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Illud numiſma, è maximis ut dixi, cuſum videtur tempore Gordiani tertii. Hermophilus enim ille Sardianorum Aſiarcha, etiam notatur in averſa parte nummi hujus Imperatoris, apud Occonem in Gordiano tertio. Nec fortè totus à ſcopo aberrarem, ſi conjicerem, in eo ſub icone Cereris aut Proſerpinæ effictam eſſe Tranquillam ipſius conjugem. De Aſiarchis iſtis plurima ſcitu digniſſima Cl.

Henr. Valeſius in Notis ad Euſebium. De Neocoris perlegenda Alberti Rubenii Poſtuma, quibus rem litterariam egregiè ditavit eruditiſſimus & cl. Jo. Georgius Græveius, cujus urbanitate eorum mihi copia facta eſt.

ALterum Sardianorum numiſma item ęreum, ſed mediocris magnitudinis, caput habet III. PROSERPINA ALTERA.



fœmineum, partim velo, partim coronâ turritâ inſigne; ipſamque urbem denotat addito nomine CAPΔIC. In averſa videre eſt figuram Proſerpinæ, ornatu ſingulari decoram, & ſtantem inter ſpicam frumentariam ac papaver, cum inſcript. CAPΔIANΩN NEΩKOPΩN. Sed de nummis hiſce duobus, qui integrum commentarium exigerent, paucula hæc dicta ex occaſione ſunto.

Ad Cyzicenum noſtrum redeamus. Ejus averſa in parte duæ illæ tędæ pineæ, in Ætna monte accenſæ conſpiciuntur, quibus uſa Ceres, filiam à Plutone raptam quæritabat; & implexi tędis angues ipſi duo, quibus vehebatur. De pulchritudine & amplitudine Cyzicenæ urbis mira

Lib. 12. Strabo, ubi eam confert cum Rhodo, Maſſilia, & Carthagine. Sed Florus in Mithridatico, eam alteram Romam appellat, & nobilem civitatem, quæ arce, mœnibus, portu, turribuſque marmoreis, Aſiaticæ plagæ littora illuſtrabat.

IV. TEMPLUM CYZICI.

DEbuerat & templorum meminiſſe, quorum unum eximiæ fabricæ, in altero Regis Cyzici æreo nummo ſecundæ magnitudinis, exhibere non abs re judicavimus. Illud enim fortaſſis fuerit omnium ejus urbis pulcherrimum, cujus columnæ altitudine cubitorum L. ſingulæ ſingulis ex lapidibus; quod imperante Antonino Pio corruiſſe ait Dio, ingenti terræ motu, quo Bithynia & omnis Helleſponti ora, concuſſæ ſunt.



Quod autem ad rem noſtram nummariam maximè facit, Cyzicum cudendæ Imperialis mone-
Lib. 5. *c.* 14. tæ privilegio nobilitatam fuiſſe Sozomenus aſſerit: & longè ante Sozomeni tempora, habiti in

pretio Cyziceni ſtateres, quòd eleganter ſculpti eſſent. Itaque nil mirum ſi tam pręclaræ urbis conditor Cyzicus apud poſteros commendetur.

ORdine temporum ſequitur Smyrnæus nummus, æreus item, & tertiæ magnitudinis. In eo figura muliebris medio corpore, capite turrito, dextro humero bipennem geſtat. Inſcript. CMΥPNA. In averſa graditur leo, cum inſcriptione, CMΥPNAIΩN. V, SMYRNA AMAZON.



Si ſolâ coronâ turritâ inſignis eſſet hæc fœmina, Cybelem Deûm matrem, aut urbis Smyrnę ſymbolum eſſe crederem: ſed bipennis hæc quâ armatur, omnino mihi perſuadet hîc repręſentari Amazonem, quæ Smyrnæ nomen dedit. Leo in averſa parte, virtutem & fortitudinem bellicam Amazonum, & ejus pręcipuè quæ urbem iſtam condidit, deſignare non immeritò credi poſſit. Scio equidem Amazonas à multis pro nugis reputari, qui & Smyrnam ab Ionibus aut Æolibus conditam arbitrantur. Sed alii earum irruptionem commemorant à partibus Scy-

thicis circa annum Mundi ter milleſimum: quo tempore occupatis pluribus Aſiæ Minoris provinciis, plurimas urbes condidiſſe dicuntur, & precipuè SMYRNAM, ex illuſtri Amazone denominatam. Quin & Strabo refert, urbes quaſdam Aſiæ, Amazonum eſſe cognomines, Epheſum, Smyrnam, Cumam. Et de Smyrna præſertim hæc habet: Σμύρνα δ' ἦν Ἀμαζὼν ἀφ' ἧς τοὔνομα καὶ τοῖς ἀνθρώποις καὶ τῇ πόλει· *Smyrna Amazon fuit, à qua nomen hominibus urbique factum.* Annon liceat tantæ autoritati aſſentiri nummo teſte firmatæ?

lib. 12. *lib. 14.*

VI. SMYRNÆUS ALTER.

INter alios Smyrnæorum nummos, aureum unum didrachmum habeo, qui ab una parte capite muliebri turrito inſignitur, ſine ulla inſcriptione. Ab altera figuram habet muliebrem ſtantem, cum calatho in capite, quæ ſiniſtro brachio columnæ innitens, Victoriam eadem manu geſtat, cum inſcr. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ.



Non caput illud turritum, pro Cybeles aut urbium ſymbolo accipi ſolitum; non figura illa ſtans, cujus papilla unica ſiniſtra nuda, Amazonum

num unam repręſentare videtur, apud quas dexteram quamque à teneris annis comburi moris fuit, ut arcus tendendi liberior eſſet facultas: non hæc, inquam, induxerunt, ut hujus nummi ſpecimen exhiberem; ſed dictio illa ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, quę rarior in nummis & inſcriptionibus, ac ſupremum magiſtratum Smyrnenſem deſignat. Qui enim apud Romanos, CONSULES; apud Carthaginenſes, SUFFETES; apud Smyrnęos, & alios Gręciæ populos, ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ erant: quo numero, non ita mihi compertum; niſi quòd Athenis quinquageni per vices, quoquo menſe ex concilio quingentorum aſſumebantur.


EOrum nomina in Smyrnęorum numiſmatis VII.
poſita fuiſſe ſuſpicamur, ex inferiùs cęlato PRYTANIS.
ſecundæ magnitudinis æreo nummo.



Altera enim parte caput Apollinis exaratum eſt, in altera nomen ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, Artemidori filii Demetrii, cum figura ſedente, & verbo СΜΥΡΝΑΙΩΝ. Alter item meus ha-

bet, ΠΡΑΞΑΓΟΡΟΥ ΤΙΡΕCΙΟΥ, Praxagoræ filii Tireſiæ, cum Prytanis ſedentis antiqua icone. Sed & à Prytanibus ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ, Athenienſis Curia, ſive ædes publicæ, in quibus Senatores Magiſtratuſve conſultabant; ubi & cives de Republica bene meriti, publico ſumptu, qui honos erat maximus, alebantur.

VIII. HECTOR. INgentis nominis vetuſtum Heroëm, in parvo æreo numiſmate ſtantem & nudum, pręter caput quod galeâ tegitur, hîc prætermiſſum nolui. Dextrâ haſtam gerit aut ſpiculum, lævâ fulmen in vola, quantùm diſcernere ſinit vetuſtas, cum nomine ΕΚΤΩΡ. In altera parte videtur caput Palladis cum verbo ΙΛΙΕΩΝ.



Palladium Trojanum ipſis puerulis notum eſt, nec mirum ſi caput Minervæ Ilienſium nummi repręſentant. Sed quem Achilles

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros: quem etiam Ethnici quidam autores, ut Libanius, irrident, & immodicæ ambitionis reum faciunt, quòd eoſdem ſibi atque Apollo & Minerva

honores arrogarit. Eum mirum eſt ab aliis non ſolùm Heroa, ſed Deum habitum: Trojani ſiquidem, quos tandiu tutatus fuerat adversùs Grçcorum impetus, eum adhuc viventem & pugnantem, tanquam Deum venerabantur. At mortuo Ilienſes, ut teſtatur Philoſtratus, divinos honores detulerunt. Sed & Thebani, apud quos ad aquam Oedipodiam Hectoris monumentum erat, ipſius oſſa ex Ilio deportare juſſi ſunt ab oraculo, & illi juſta ſolvere tanquam Heroi, ut tradit Pauſanias. In aliis nummis, cum bigis aut quadrigis cçlatus videtur Hector pugnantis habitu; at verò in noſtro ſtat Martis habitu, niſi Jovis eſſe mavis: quippe non ſolùm ſpiculum tenet, & galeâ ornatur ut Mars, ſed lævâ fulmen gerit in vola manus, non quale tulit Magnus Alexander ab Apelle depictus, cujus uno aſpectu tanto timore correptus Caſſander dicitur; ſed velut quietum & innoxium, cætera nudus, virili vultu, & fortè barbato, quantùm in minuto nummo licet intueri, in eoque conveniret cum Hectore, quem pinxit olim Polygnotus Thaſius in ingenti & percelebri illa excidii Trojani, & Græcorum reditus tabula, quâ Delphicum templum decorabatur: ibi enim Hectorem, & Memnonem, & Sarpedonem cum promiſſa barba depictos eſſe Pauſanias idem affirmat.


in Heroicis.

in Bœoticis.

in Phocicis.

IX. IDRIEUS.

EN argenteum tetradrachmum, in quo ab una parte caput Apollinis ſeu Solis, ſine inſcriptione; ab altera, figura ſtolata ſtans, dextrâ malleum ſive bipennem tenens, ſiniſtrâ haſtam, cum nomine ΙΔΡΙΕΩΣ.




Hic nummus in notitiam IDRIEI priùs incogniti me induxit, & ad inveſtigandam ipſius ſtirpem & gentem me compulit, quæ ſic ſe habet. Hecatomnus Cariæ Princeps quinque liberos reliquit, ſui regni ſibi invicem ſucceſſores; Mauſolum, & Artemiſiam ſororem, qui more apud barbaros recepto, juncti matrimonio ſunt; Idrieum, & Adam ſororem, item conjuges; & Pexodorum. Mauſolus natu maximus, Caribus primus imperavit; eoque mortuo, Artemiſia regni habenas ſuſcepit biennio, quo ſepulcrum illud inter præcipua totius orbis miracula decantatum perfecit, conjugalis amoris præclarum monumentum. Ei ſucceſſor factus eſt IDRIEUS, qui nummum noſtrum cudit, cum Ada ſorore

& conjuge, an. II. Olymp. CVII. Cùmque ex inſtituto majorum, Perſarum amicus bellique ſocius eſſet, ab Artaxerxe Rege ſollicitatus, terreſtres ſimul & navales copias conſcripſit, ut bellum inferret Cypri Regibus, qui ab Imperio Perſico defecerant. Quod ut perficeret, & potentiæ ſimul ac fidei teſtimonium exhiberet, breviſſimo tempore XL. triremes adornavit, quibus octo millia conductorum pretio militum impoſuit, atque in ſubſidium Regis Perſici miſit versùs Cyprum inſulam: ſicque Artaxerxes, ope amici & vicini Principis, rebelles Cyprios ſubegit. Eo poſt ſeptem annos in Imperio exactos ſublato, Ada uxor ſuperſtes, quatuor annos regnavit, donec illam Pexodorus fratrum minimus regno expulit. Hic Perſico Imperio addictiſſimus, principatum tenuit annis quinque, uſque ad expeditionem Alexandri Magni, qui ſubactis Aſiæ Minoris provinciis, ADAM IDRIEI quondam noſtri conjugem, in regnum reſtituit, ac tanta veneratione proſecutus eſt, ut eam pro matre habuerit. Hæc ex Dione Siculo, Plutarcho, & aliis. Caput Apollinis in nummo Idriei Solem deſignat, qui pro Deo ab Orientalibus populis habebatur. Figura ſtans in averſa, mihi primùm incognita, tandem pro Jove militari innotuit, quem videre eſt ſuperiùs cap. I. in nummo quar-

cto Jovis Stratii ſeu Labradei. Interim rerum antiquarum ſtudioſi non ægrè ferent ſe moneri, in Regio Muſeo reperiri rariſſimos nummos Mauſoli & Pexodori ſeu Pexadori fratrum, ſolo nomine & pondere à noſtro Idrieo diverſos.

X. SEUTHES.

NUmmum æreum vides mediocris magnitudinis, in quo caput barbatum, diademate cinctum, fabricæ barbaræ, ſine inſcriptione. In averſa, figura equeſtris, qualem videre eſt in quibuſdam Philippi & Alexandri Macedonum nummis æreis, cum verbo ΣΕΥΘΟΥ, quod SEUTHEM Thracum Regem innuit.



Plures hujus nominis fuere Thracum Reges, & de quo hîc agatur decernere, difficillimum eſt: ſed in re dubia, illi poſtremo qui ſub ævum Alexandri Magni, rerum geſtarum gloriâ clarus extitit, aliis ſuperiorum temporum, quorum meminere Thucydides & Xenophon, prætermiſſis, nummum addicemus. Hic anno primo ab Alexandri Magni morte laceſſitus à Lyſimacho, cui Thracia cum finitimis ad Mare Ponticum genti-

bus ceſſerat, cum XX. peditum & IIX. equitum millibus ſeſe tutatus eſt, acerrimâ initâ pugnâ, ex qua uterque magna ſuorum ſtrage, cum ancipiti victoria receſſit, ad majores belli apparatus, ni pax interceſſiſſet, faciendos. Decennio pòſt, redintegrato bello, Seuthes Antigoni partes ſecutus, & Callantianis, qui à Lyſimacho defecerant, opem ferens, ipſum Lyſimachum Æmi montis tranſitu prohibiturus acceſſit; ubi acri commiſſo prælio, multis utrimque occiſis, rurſum æquo Marte diſceſſerunt. Quid ſibi velit eques in averſa, pro comperto non habeo, niſi fortè Thraces equitatu pollere ſignificet.

XI. RHOEMETALCES.

SEd ne tam leviter à Thracia digrediamur, de aliis Regum Thracum nummis, qui noſtri ſunt, agere, quamvis ab ævo *Seuthæ* tribus circiter ſęculis diſtent, non alienum judicavimus. Eorum nomina RHOEMETALCES, COTYS, & RHESCUPORIS, quorum hiſtoriam ex Dione & Tacito ſic colligo. Cùm Rheſcuporis junior Cotyis ſenioris filius, M. Bruti primùm adjutor, poſtea deſertor, à Vologeſo natione Beſſo victus necatuſque eſſet; Rhœmetalces noſter, ejus tutor & patruus, ab eodem Vologeſo exercitu ſpoliatus, & ad fugam compulſus eſt. Sed Romani, qui eundem aliàs contra Beſſos M. Lol-

lio duce defenderant, L. Piſonem Pamphyliæ Præfectum miſerunt, ut ei ſuppetias ferret; qui Beſſos & alios defectionis ſocios populos, partim ad deditionem compulit, partim prælio devicit, & iterum rebellantes in ſervitutem redegit. Hujus beneficii non immemor Rhœmetalces, viciſſim Romanos ingenti & periculoſo bello à Dalmatis & Pannoniis impetitos, adeò ut metueretur ne Italiam ipſam invaderent, totis viribus adjuvit, & ſub auſpiciis Tiberii, qui ex Germania Auguſti juſſu in Pannoniam advolarat, Barbaros primùm levi prælio ſuperavit, deinde in Macedoniam irrumpentes, junctis cum fratre Rheſcupori copiis, ingenti prælio attrivit ac delevit. Ex eo, Auguſto percarus extitit Rhœmetalces dum vixit, qui viciſſim ut ſuam erga Imperatorem obſervantiam teſtaretur, nummum æreum ſecundæ magnitudinis percuſſit, quem exhibemus.



In eo ab una parte caput Auguſti, cum inſcriptione ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. In altera, duo capita

capita viſuntur, Regis ipſius, & uxoris, ſeu potiùs Auguſti & Liviæ, additis verbis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. Alium poſſidebat Illuſtriſſimus Lomenius, cum quatuor capitibus, videlicet addito capite Liviæ à parte Auguſti, cum ſigno Capricorni. Sed & memini me videre alterum, apud Magnum Hetruriæ Ducem, quinto capite inſignem, nempe Veneris, à parte Auguſti & Liviæ.

RHœmetalce mortuo, Auguſtus ejus officiorum memor, Thraciam omnem inter COTYM ipſius filium, & Rheſcuporim Rhœmetalcis fratrem dividens: huic quicquid incultum & hoſti vicinum, tradidit; quòd illi eſſet ingenium atrox, avidum, & ſocietatis impatiens: Cotyi, quia pollebat ingenio miti & amœno, attribuit quicquid pingue, excultum urbibus, & pagis refertum, ac Græcis conterminum. Ipſe enim litteras & Poëſim callebat. Hinc Ovidius, qui in ejus regno exulavit, ad eum ſcripſit: XII. COTYS. *Eleg. 2. lib. 9. de Ponto.*

Neve ſub hoc tractu vates foret unicus Orpheus,
Biſtonis ingenio eſt terra ſuperba tuo.
Ad vatem vates orantia brachia tendo.

En Cotyis ipſius argenteum didragma. Ab una caput diadematum vides Regis, ut colligitur ex inſcriptione ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΚΟΤΥΟϹ. In altera




caput laureatum incognitum, niſi ſit Auguſti, cum litteris Θ K Φ, quæ an ſint numerales, & æram quandam computent, an explicari poſſint, ΘΕΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ΦΙΛΟϹ, arbitrii tui eſto. Si tamen ſint numerales, ut opinor, annum DXXIX. indicabunt, ex conjectura eruditiſſimi Henr. Valeſii, quâ meminiſſe me voluit, Græcos in notis numeralibus minores numeros majoribus aliquando præponere, ut AI. pro IA. id eſt, undecimo. Quam legem etſi minimè in plurimis, tamen in hiſce Thraciis nummis obſervare licet. Hæc enim æra Θ. K. Φ. inverſo ordine legi & numerari debet, incipiendo videlicet à nota Φ. ſicque habebimus DXXIX. Unde verò hæc cœperit Thracum Æra, aliàs inquiremus.

De æra Spanhemius p. 863

XIII. RHESCUPORIS.

RHESCUPORIS nummus ferreus ſecundæ magnitudinis, ab una parte diadematum caput refert ipſius, ut innuit inſcript. ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΡΗϹΚΟΥΠΟΡ. In altera caput laureatum incognitum, cum tribus notis B. M. Φ. quæ ſi legantur eodem ordine quo in præcedenti nummo,

Φ. M. B. efficient numerum DXLII. annorum.



Dubitavi, fateor, an hunc ſculpendum traderem: adeò enim rudis & inconcinnus eſt, & ab imperito artifice olim cuſus, ut vix aliquid hominis in hiſce capitibus deprehendas. Verùm id à me tandem obtinuit inſcriptio, quâ Reguli iſtius nomen quo ſcribendum modo ſit, edocemur. Siquidem apud Romanæ hiſtoriæ ſcriptores mirè variatum eſt in iſto nomine, ut optimè notavit Lipſius. Dio enim Ρασκύπορειν, Velleius *Rhaſcupolim*, Suetonius & alii *Thraſcypolim*, ſolus Tacitus *Rheſcuporim* vocat, ut in nummo. Hic ſuo uſus ingenio, nec regni parte quæ illi ceſſerat contentus, Cotym nepotem adgreditur, primò occultè & cunctanter ſub Auguſto, quem vindicem metuebat; deinde aperto bello ſub Tiberio. At quemadmodum Auguſtus, ut ait Suetonius, *Reges ſocios etiam inter ſemetipſos neceſſitudinibus junxit, promptiſſimus affinitatis cujuſque atque amicitiæ conciliator & fautor, nec aliter univerſos, quàm membra parteſque Imperii, curæ habuit:* ita Tiberius metuens, ne ſemel compoſita *cap. 48.*

turbarentur, Regibus præcepit, ab armis diſcederent, quæ ſtatim à Cotye dimiſſa ſunt. Sed ſimulans RHESCUPORIS ſe velle de controverſiis colloquio tranſigere, poſtulat ut in locum eundem fœderi ſanciendo conveniant, & tracto in multam noctem convivio, incautum Cotym in vincula conjicit; atque omni Thracia potitus, ſcripſit ad Tiberium, ſtructas ſibi inſidias à Cotye, quem prævenire coactus ſit. Cùmque reſcripſiſſet Tiberius, ut tradito Proprætori Myſiæ Cotye, ipſe ad cauſam dicendam veniret; occidi Cotym jubet, mortemque ſponte ſibi ab ipſo conſcitam ementitur. Non tamen artes Tiberianas eluſit: nam Pomponius Flaccus Regi amiciſſimus, ideoque ad fallendum aptior, in Thraciam miſſus, eum per ingentia promiſſa perpulit, ut præſidia Romana intraret, atque additâ gravi cuſtodiâ, in urbem traxit. Ibi ab uxore Cotyis accuſatus in Senatu, damnatur, & regno privatur; atque Alexandriam devectus, illic, an fugam tentans, an ficto crimine, interficitur. Thracia in Rhœmetalcem filium, quem paternis conſiliis adverſatum conſtabat, & in liberos Cotyis dividitur: iiſque nondum adultis, Trebellienus Rufus datur, qui regnum adminiſtraret ſecun-
cap. 48. dùm mentem Auguſti, qui, ut ait Suetonius, *Rectorem ſolitus eſt apponere Regibus ætate parvis*

ac mente lapſis, donec adoleſcerent, aut reſipiſcerent.

SEd quoniam uxoris Cotyis facta eſt mentio, omittere non poſſum apud me reperiri denarium argenteum, cum capite Tiberii; cujus averſa in parte viſitur libra cum lancibus, & hiſce notis, ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΠΥΘΟ. . . . ΥΟΣ. XIV. PYTHODORIS.



Quæ mihi ſuſpicionem movent, hunc nummum fortè in gratiam Tiberii, & ad deſignandam ejus æquitatem, à Regina uxore Cotyis percuſſum, hocque modo ejus inſcriptionem reſarciri poſſe, ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΠΥΘΩ, vel ΠΥΘΟΝΙΚΗ, aut etiam ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ ΚΟΤΥΟΣ. Ut enim Pytho nomen eſt fœminis conveniens apud Græcos, nempe Deæ Suadæ, & Dianæ ipſi ex Pauſania: ita Pythonice dicta reperitur amaſia quædam Harpali, quam Athenis evocarat ipſe apud Diodorum. *lib.* 17. Sed ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ mihi ſupra reliquas arridet: duas quippe ſub ævum Tiberii ejuſce nominis Reginas nactus ſum apud Strabonem; primam Polemonis Ponti Regis uxorem, *lib.* 11. quæ cum marito regnavit, eique mortuo

in regnum ſucceſſit, & in Colchos, Trapezuntem, vicinoſque barbaros regnum tenuit, prudens mulier, & præeſſe rebus gnara, filia Pythodori Tralliani, aut, ut quidam volunt, Niſſæenſis. Hæc prçter Zenonem Armeniæ Regem datum à Germanico Cçſare, & juniorem Polemonem, filiam etiam ex Polemone conjuge ſuſcepit, cujus ſanè nomen reticetur, ſed matri fuiſſe cognominem ſuſpicari licet. Eaque ſecunda eſt Pythodoris, quæ connubio juncta dicitur Cotyi, eoque per inſidias Rheſcuporis ſublato, vidua cum filio regnante permanſit: ex quo infertur eandem eſſe, cujus mentio in nummo, quæ frequenti Senatu & prçſente Tiberio, in Rheſcuporim Cotyis conjugis interfectorem cauſam dixit, & eodem, quo mater, nomine Pythodoris compellata eſt. Adſtipulantur ſuperſtites in nummo litteræ, ΠΥΘΟ. . . . . ΥΟΣ, ex quibus facilè conſequitur ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ ΚΟΤΥΟΣ. Patere, lector, conjecturam in ſemeſo nummo, & vetuſtate propè conſumpto.

XV. Ininthimevus.

QUin & liceat mihi hîc apponere nummum argenteum drachmalem, minùs cognitum fateor, ſed rarum, & quem Thracium exiſtimo ex cçlatura & fabrica ſuperioribus ſimili. Habet ab una parte caput barbatum, diadematum, cum

inſcript. ſolida, BACIΛΕΩC ΙΝΙΝΘΙΜΗΥΟΥ. Ab altera caput æquè inſulſum, cum corona laurea, & notis A. Λ. Φ. hoc eſt, anno DXXXI. juxta pręcedentem canonem priorum Regum Thracum.



Quis ille ſit Regulus ININTHIMEVUS aut THIMEVUS, Antiquariorum diſquiſitioni permitto. Illæ tamen notæ A. Λ. Φ. ſuperioribus Regibus Cotyi & Rheſcupori coævum fuiſſe deſignant.

Alter adeſt, de quo libentiùs divinabo, etſi non multò certiùs; quem aurifices aureum, quamvis ex auro minùs probato, aſſeverant, drachmarum duarum pondere. XVI. SAUROMATES.



Imperatoris Septimii Severi vultum habet indubitanter ab una parte, cum tribus notis ΔqV. quæ juxta ſuperiorem æram annum CCCXCIV.

deſignant. Ab altera barbari Regis diadematum caput cum inſcr. ΒΑCΙΛΕΩC CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ Incognitum mihi Regem iſtum fateor, ſed ex nummi fabrica, ex Sarmatico nomine, & ex capite Severi, in Sarmatia aut vicina aliqua regione regnaſſe licet conjicere, & triennalis obſidionis Byzantinæ tempore à Severo factæ, ſive amore, ſive metu, ratione viciniæ Romanis obnoxium, ipſis aut annonæ & commeatus ſuppetias tuliſſe, aut ſupplendo militi adfuiſſe. Plura mihi de illo in præſenti non occurrunt, niſi quòd illuſtriſſimus Senatus Princeps N. LAMONIUS, vir ſupra omnes titulos, aureum melioris notæ quàm ſit meus, nuper in ſuo Gazophylacio repoſuit, in quo ab una parte Regis Sauromatæ caput & nomen viſitur, in altera caput Trajani ſine inſcriptione, ſed cognitu facillimum. Et quòd Patavii an. MDCLXVII. illuſtriſſimus Comes à Lazara, inter immenſos veterum nummorum acervos cujuſvis formæ, raritatis & metalli, quos mihi cum ſingulari comitate & eruditione exhibuit, æreum ſecundæ magnitudinis, cum iiſdem omnino capitibus, inſcriptione, & ſimili ferè typo ac in meo cernitur, demonſtravit. Sed commodè, dum hæc mente volvo, ad me miſit Diſſertationem ſuam de Præſtantia Nummorum antiquorum denuò cuſam & auctam nobiliſſimus


Ezechiel

Ezechiel Spanhemius. Ipſum adeat ſtudioſus lector, nec alibi lucem quærat.

A Thracibus ad Judęos convertimur, occaſione pręclari numiſmatis, ab HERODE Chalcidis Rege percuſſi, cujus explicationi pauca hæc pręmitto. Herodes Agrippa ſenior, à quibuſdam Magnus appellatus, filius Ariſtobuli, quem pater Herodes Aſcalonita peremit, Caio Caligulæ adhuc Cęſari tam familiaris extitit, ut in lectica cùm eo iter agens, Tiberio celerem mortem optaret, quo Caius citiùs Imperio potiretur. Quod cùm reſciſſet Tiberius, eum in carcerem detruſit. At mortuo opportunè Tiberio, Caius Agrippam carcere liberatum, Regem Judęæ conſtituit, eique catenam auream ejuſdem ponderis atque ferream, quâ detentus fuerat, dedit, & jus etiam conceſſit in Templum Hieroſolymitanum, in ſacerdotium & res ſacras: tantaque amicitia inter eos coaluit, ut vulgò Romæ jactaretur, Agrippam cum Antiocho Comageno, ipſum Caium ad tyrannidem inſtituere. Nec minori apud Claudium gratiâ valuit, cui poſt Caium occiſum, egregiam in adipiſcendo Imperio operam pręſtitit. Ab eo enim impetravit regnum Chalcidis ad Libanum, HERODI fratri ſuo, cujus gratiâ Regum Judęorum familiam at-

XVII. HERODES CHALCIDENSIS.

tigimus. Hic, poſtquam Agrippa (cujus filiam Berenicen in matrimonium acceperat) Cęſareæ
Act. 12. ab Angelo percuſſus interiit, ut narrat D. Lucas; plurima item à Claudio obtinuit, & eâdem quâ frater potentiâ, Judęorum ſummos Pontifices pro arbitrio mutavit; quod jus in ſucceſſores uſque ad exciſa Hieroſolyma tranſmiſit. Quo fit, ut minimè mirum videri debeat, relictum eſſe ab eo grati animi monumentum, nummum inſignem æreum ſecundæ magnitudinis, in quo Claudii ſtudioſus dicitur, φιλοκλαύδιος. Eum ecce, cujuſmodi eſt, repręſento.



Ab una parte vides caput ſenile Herodis, faſciâ regali præcinctum, cum inſcriptione mutila, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔ . . . . . ΔΙΟΣ. In averſa, ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Γ. in medio coronæ laureæ. Inſcriptionem capitis ſic repono, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, tum ex conjectura rationi, ut mihi videtur, conſentanea, & eo modo quo epithetum ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ cernitur in nummis noſtris Ariarathis &


Ariobarzanis Regum Cappadocum; tum ex Occone, qui nummum iſtum vidit, nec pervidit: habet enim in Claudio, ΒΑCΙΑ ΗΡΩΔΗCΦΙΛΟC, ſed inconcinnè, ut patet.

HERODE Chalcidenſi mortuo ſub an. VIII. Claudii, Agrippa junior, ejus nepos, & filius Agrippæ ſenioris, Romæ in aula Imperatoria educatus, Princeps Chalcidis factus eſt, additâ poſtmodum Tetrarchiâ Trachonitidis, dum Judæa ſub Præſidibus Romanis remanſit, quibus militavit ad uſque excidium Hieroſolymitanum. Iſte plures nummos ſub nomine & vultu Veſpaſiani, Titi & Domitiani percuſſit, quorum quatuor apud me reperiuntur ſub diverſis typis: ſed quia non ſunt ex rarioribus, & ipſius Agrippæ ſolum nomen, velut monetarii, in averſa parte reperitur, hîc exhibendos non cenſemus. Ut nec alterum, quem Agrippa pater, ſub nomine & capite Caii percuſſerat, in cujus averſa parte ſtat Victoria cum Regis nomine.

SUperiorum temporum Principibus addemus Regem inferioris ævi, HILDERICUM Vandalum. Ipſius nummum argenteum, denario paulò minorem adſecuti ſumus, in quo caput imberbe, diadematum, cum inſcript. D. N. HILDERIX REX. In averſa viſitur figura muliebris

XVIII. HILDERICUS.

ſtans, utraque manu ſegetes protendens, cum inſcriptione, FELIX KART.



Dubitari non poteſt, quin nummus iſte HILDERICUM Vandalorum in Africa Regem penultimum repręſentet, quem de Eccleſia Catholica bene meritum multi prædicant. Cùm enim Traſamundus, cui ſucceſſit, Arianæ perfidiæ cultor, ut ſine cæde & ſanguine fidem orthodoxam labefactaret, & occultis veluti cuniculis in eam graſſaretur, ſineret Epiſcopos, dum viverent, præeſſe ſibi ſubjectis Eccleſiis hac lege, ne quis in locum defunctorum ſubrogaretur: ſcilicet ut ipſæ Orthodoxorum Eccleſiæ paulatim orbatæ Paſtoribus conciderent; proſpicientes Epiſcopi, hac arte deſolandas Eccleſias, Præſulibus mortuis alios contra Regis mandatum ſuffecerunt. Quod ille iniquè ferens, ducentos ampliùs Epiſcopos Catholicos, ex omnibus Africæ provinciis, in Sardiniam inſulam deportavit. Sed eo mortuo HILDERICUS, qui à Traſamundo ſacramento obſtrictus fuerat, ne Rex factus Catholicos reſtitueret, ut ſacramenti religionem minùs lædere videretur, priuſquam regnum capeſſeret, omnes

ab exilio reduci precepit. Elapſis aliquot annis, Athalaricus in Italia Rex, ſpecie vindicandæ Amalafridæ Traſamundi quondam uxoris, quam ad mortem adegerat HILDERICUS, in eum concitavit Gilimerem conſobrinum, qui HILDERICUM regno privavit, atque in vincula conjecit anno regni ſeptimo. Tandem cùm Juſtinianus Imperator in facinus illud inquireret, Gilimer HILDERICUM interfecit, cujus perfidiæ mox pœnas luit, bello impetitus à Juſtiniano, duce Beliſario; qui devictis Vandalis, & extincto eorum Imperio Africano, captum Gilimerem Conſtantinopolim deduxit, & Imperatori in ſolio ſedenti, cum liberis obtulit, acto magnificentiſſimo triumpho.

Quod ad averſam numiſmatis partem attinet, figura muliebris, in manibus ſpicas frumenti habens, ubertatem Africæ, & preſertim agri Carthaginienſis, deſignat: cujus ergo FELIX appellatur CARTHAGO, etiam in nummis Diocletiani & Maximiani Augg. in quibus ſimilis ferè figura reperitur, dextrâ ſpicas gerens, ſiniſtrâ papavera. Sanè Africæ fertilitatem commendat Æl. Spartianus in Severo & in Peſcennio Nigro, dum ait Severum in illam provinciam legiones miſiſſe, ne Niger eâ occupatâ, Populum Romanum penuriâ rei frumentariæ perurgeret. Sed nihil


magis appoſitum, quàm quod in Alexandro Tyranno eruditiſſimus, & nunquam ſatis laudatus Triſtanus noſter refert ex Tertulliano & Martiano Capella, quorum prior Carthaginienſes vocat VETUSTATE NOBILES, NOVITATE FELICES: alter Carthaginem appellat *Inclytam pridem armis, nunc* FELICITATE REVERENDAM, & BEATAM URBEM ELISÆ. Adeò conſtat Carthaginem, ex quo per Julium Cęſarem reſtaurata fuit, & facta Colonia Romana, priſtinæ cladis oblitam, & hac FELICITATIS laude inſignitam fuiſſe.

lib. de Pallio. *lib. 6.* *lib. ult.*

XIX. PTOLEMÆI DUO ET CONJUGES.

SEd ad ſuperiora tempora revertamur. Hubertus Goltzius in Inſulis Gręciæ, agens de Deliorum numiſmatis, aureum unum exhibet, in quo ab una parte viſuntur duo capita juncta, Apollinis & Dianæ cum voce ΘΕΩΝ: ab altera, eadem capita, cum verbo ΑΔΕΛΦΩΝ, *Deorum fratrum*. Nummum, quem hîc damus, quamprimùm noſter factus eſt, ipſum putavimus eſſe Goltzianum: ſed ubi inſpeximus accuratiùs, in inſcriptione ſimili capita omnino diverſa deprehendimus. Quippe diademate, ſeu faſciâ regali præcincta ſunt; quod Deorum iconibus tribui non ſolet: nec ullum ejus eſt in Goltzii nummo veſtigium. Aureus eſt item noſter & drachmalis,

atqûe in una parte, cum voce ΘΕΩΝ, habet duo capita, PTOLEMÆI LAGIDÆ cum diademate, & BERENICES conjugis: in altera cum verbo ΑΔΕΛΦΩΝ, capita PTOLEMÆI filii cognomento PHILADELPHI, item diademati, & ARSINOES ſororis ſimul & conjugis.



Nolim exiſtimes, nos temerè & inconſultiùs ejuſmodi vultus deſignare & denominare: eoſdem enim cum ſuo quemque nomine, ſeorſim in aliis nummis & vidimus, & penes nos habemus, excepto Philadelpho; à quo tamen cuſum hunc præclarum nummum arbitror. Mira produnt Hiſtorici de mutua pietate utriuſque Ptolemæi, parentis & filii; & de concordia, quâ ſimul Ægypti regnum adminiſtrarunt. Siquidem Ptolemæus primus Soter dictus, anno regni XXXIX. cùm magnâ rerum geſtarum gloriâ reliquos Alexandri Magni comites & ſucceſſores anteiret, & adhuc optima corporis & animi valetudine frueretur, inaudito exemplo, Philadelphum filium ex Berenice poſtrema uxore, poſthabito altero natu majore ex Eurydice priore conjuge, Regem renuntiavit: & quod juveni

amorem populi conciliavit, inter ejus aulicos quaſi privatus, biennio ſuperſtes vixit; idque neglecto Demetrii Phalerei conſilio, qui Soteri ſuper Imperii abdicatione conſulenti, amicè & liberè reſponderat: *Si alteri dederis, ipſe non habebis.* Hæc abdicatio, & altera eodem ferè tempore à Rege Babyloniæ Seleuco facta, uxoris Laodices, in gratiam Antiochi filii, qui eam deperibat, Tragici effatum deſtruit:

Nec regna ſocium ferre, nec tedæ ſciunt.

Philadelphus interim mortuos parentes PTOLEMÆUM & BERENICEN venerabundus, DEORUM numero adſcripſit: quo jam honore Ptolemæum Rhodii ante annos viginti proſecuti erant. Cùm enim ejus auxiliis gravi obſidione, quâ premebantur à Demetrio Poliorcete, ſoluti eſſent, omnem in referenda ei gratia modum exceſſerunt. Siquidem miſſis in Libyam theoris, ex Ammonis oraculo ſciſcitati ſunt, an PTOLEMÆUM uti DEUM venerandum cenſeret: quo annuente, lucum in urbe illi conſecrarunt, quadratum exſtructis porticibus, eumque locum ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΝ indigetarunt.

In altera parte nummi habes PHILADELPHUM cum ſorore ARSINOE, quam ſibi more à Perſis accepto, matrimonio junxerat. Hæc antequam pareret, diem ſuum obiit: & ab ea

ARSI-

ARSINOITIS Præfectura in Ægypto nomen Pauſania teſte obtinuit. Aliam quidem ejuſdem nominis Arſinoën duxerat, filiam Lyſimachi, ex qua Evergetem ſuſcepit. Sed ſororis conjugis facies in nummo delineata eſt, ut patet ex verbo ΑΔΕΛΦΩΝ. Quod ad PHILADELPHUM pertinet, vix Principem alterum repereris, tot tantiſque laudibus cumulatum, ab univerſis cujuſque nationis & religionis viris graviſſimis. Inter alios Philo illum virtutibus regiis, ſupra omnes ætatis ſuæ ſuperiorumque ſęculorum Principes, nobilem prædicat. Tertullianus ipſe, Ptolemæorum eruditiſſimum vocat, & omnis literaturæ ſagaciſſimum. Equidem celeberrima, quam collegit, Bibliotheca, & ſacrarum Scripturarum interpretatio, quam per LXXII. ſeniores Judæos immenſis ſumptibus, & ſingulari magnificentiâ fieri procuravit, gloriam illi peperit immortalem. Sed ea, quoniam ad nummum noſtrum nihil quidquam pertinent, reticemus.

lib. 1. de Vit. Moſis.

in Apolog.

XX. SELEUCUS.

NOn vilioris erit æſtimationis Seleuci nummus argenteus didrachmus, habens ab una parte caput Jovis, ab altera Palladem in quadrijugo elephantum curru, cui ſuperſtat anchoræ nota, cum inſcriptione ΒΑCΙΛΕΩC CΕΛΕΥΚΟΥ.



SELEUCUM, à frequentibus victoriis NICATOREM dictum, juſtitiâ & pietate omnes Alexandri Magni commilitones ſuperaſſe, refert Pauſanias; & inter omina futuræ potentiæ, tum cùm Alexandro in expeditionem Perſicam proficiſcenti comes adeſſet, & Pellæ Jovi ſacra faceret, ligna aris impoſita nullo admoto igne accenſa eſſe. Hinc forſan effectum eſt, ut Jovis caput, propitii numinis & pietatis ſuæ monumentum, in nummo noſtro ſignaverit. Sed aliud futuræ Seleuci magnitudinis prǽſagium narrat Appianus Alexandrinus; nempe in Macedonia paternum focum ingenti flammâ incanduiſſe, nemine accendente. Admonitam quoque in ſomnis ipſius matrem, ut quem primo annulum haberet obvium, Seleuco geſtandum traderet; regnaturum enim ubicumque ſorte digito ipſius excideret: reperiſſe illam ferreum cum inſculpta anchora, quem cùm Seleuco tradidiſſet, ab eo deinde circa Euphratem amiſſum. Quin & poſtea cùm adepto regno, Babylone deambularet, impegiſſe in lapidem, quo effodi juſſo, anchoram apparuiſſe. His mo-

in Atticis. *in Syriacis.*

tus Seleucus, anchorâ in annulo ſignatorio uſus eſt, eamque, ut ex nummo noſtro ſuſpicari licet, monetæ quoque adhibuit. Quod ad elephantos pertinet, eorum tantâ copiâ potitus eſt, ut in bello, quo Antigonum fœderati Reges Ptolemæus, Caſſander & Lyſimachus ejus hortatu adorſi ſunt, ipſe prçter peditum viginti millia, etiam quadringentas octogenas belluas communem in cauſam produxerit. Neque id verò fidem excedit; quippe cùm præter Meſopotamiam ac vicinas provincias, quæ illi poſt Alexandri mortem obtigerant, etiam ultra Euphratem ad Indum uſque fluvium promoverit Imperium, & hoc quoque trajecto, bellum geſſerit cum Sandrocoto Indorum Rege, à quo quingentos elephantos icto fœdere accepit. Quid quod Elephantis ab Alexandro Præfectus fuit, & poſt ejus obitum in Alexandrinæ ditionis partitione, eorumdem ac equitatus regimen accepit: adeò & caput Jovis, & anchora, & elephanti in noſtro nummo ſignati, epitomen rerum à Seleuco geſtarum non contemnendam exhibent.

DUos hìc jungimus nummos, quia unius ejuſdemque argumenti videntur eſſe. Uterque æreus eſt, ſecundæ magnitudinis. Alter habet caput juvenile, laureâ coronâ cinctum, ſub XXI. XXII. EUSEBIA ARIARATHIS

habitu Herculis, cum templo in averſa parte, & verbo ΕΥΣΕΒΙΑΣ. Alter exhibet caput Palladis, & in averſa montem, cujus apicem tenet volucris alis expanſis, eodemque verbo inſcribitur, cum reliquiis alterius inſcript. . . . ΑΡΕΙΑΣ. fortè ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ.



Duas EUSEBIÆ nomine inſignitas urbes fuiſſe docet Strabo, utramque in Cappadocia; alteram ad Taurum montem, quam plures Tyanam appellant; alteram ad montem Argæum, priùs MAZACAM, poſtea EUSEBIAM, ultimò CÆSAREAM dictam à Claudio Cæſare, vel à Tiberio ſecundùm mentem eruditiſſimi Spanhemii: ſed eo nomine privatam à Juliano Apoſtata, quòd Fortunæ templum cives ejus deſtruxiſſent, aſſerit Sozomenus, & confirmat Caſſiodorus his verbis:

lib. 5. c. 4.
lib. 6 Hiſt. Trip. c. 4.

Ea quoque tempeſtate Cæſaream Cappadociæ maximam ac feliciſſimam civitatem ita vocari prohibuit, (Julianus ſcilicet) *eique antiquam Cæſaris appellationem abrogavit, quam à Claudio Cæſare promeruerat.* Ad poſteriorem hanc pertinere nummi noſtri videntur, quippe cujus major fama, & frequens in nummis mentio, quæque Dynaſtarum Cappadocum Regia & Metropolis habeatur ab eodem Strabone. Quod verò ad Euſebiæ nomen attinet, eo inſignita videtur Mazaca propter Regum duorum patris & filii mutuam pietatem: ſiquidem Ariarathes, ejus nominis, ab eo quem Perdiccas poſt Alexandri mortem interemit, quintus, Ariarathem tantâ reverentiâ coluit, ut is amori reſpondens, abdicatum regnum nato conceſſerit. Quod cùm abnuiſſet filius, ſummâ concordiâ regnum communibus curis adminiſtrarunt, aſſumpto ΕΥΣΕΒΩΝ, hoc eſt *Piorum*, nomine, & ab ipſis ad Mazacam urbem tranſmiſſo. Quod ſuſpicari licet ex Goltziano nummo, in quo eorum alter hoc nomine deſignatur. Cæterùm mutuæ hujus pietatis ſymbolum eſt templum in primo nummo, cum titulo ΕΥΣΕΒΙΑΣ: in altero, avis ſummo Argæo monti Cęſareæ vicino inſidens, quam an phœnicem, an pelicanum interpretemur, dubitari poteſt: utraque enim avis pietati, æquè ac ciconia, tribuitur. *Tab. 2. Inſul. Græc.*

Phœnix, qui ſeipſum donat, ut alterum in lucem edat: pelicanus, qui pullos famę deficientes, imò etiam mortuos, proprio ſanguine ad vitam revocare dicitur. Supereſt caput juvenile regium, quod pelle leonina circa collum inſignitur, cum clava Herculea; videturque eſſe Ariarathis, quem expreſſit Goltzius. Ejuſmodi inſignibus junioris Jubæ caput ornatum habemus in nummis, & aliorum qui ab Hercule ortum ducere videri volunt.

XXIII. XXIV. MITHRIDATES PERGAMENUS.

Alterum ecce produco par nummorum Aſiatici Regis MITHRIDATIS PERGAMENI.





Æræus eſt uterque ſecundæ magnitudinis. Prior capite juvenili diademato inſignitur, cum nomine ΒΑCΙΛΕΩC ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. Habet in

averſa clavam, arcum & pharetram. In ſecundo viſitur caput Palladis cum eadem inſcript. & in averſa ſtat figura Æſculapii, cum verbo ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ.

Quamprimùm Mithridatis inſcriptionem legi, Pontici illius Regis, famoſi Reip. Romanæ hoſtis, numiſma eſſe duxi: ſed inſpecto accuratiùs vultu, & cum argenteis ipſius Eupatoris tetradrachmis collato, faciem omnino diverſam deprehendi, & caput illud juvenile, Mithridatis Pergameni eſſe ſuſpicatus ſum, tum propter verbum ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, tum propter diverſa in utroque oris lineamenta, tum quòd magnus ille Ponticus in ære ſincerus vix reperiatur. Fecit hæc difficultas, ut relicto Pontico, totum me ad Pergamenum contulerim, cujus & nummi rariores, & res geſtæ minùs notæ. Ille igitur junior Mithridates, ſi de illo periculum facere liceat, Pergamenus à Strabone dictus, inter illuſtres Pergamenos recenſetur, ejuſque matrem à Galatiæ Tetrarchis ortam, magni Mithridatis pellicem fuiſſe aiunt. Hirtius verò regio genere ortum, ac diſciplinis regiis educatum ab eodem Eupatore, propter nobilitatem Pergamo adhuc puerum aſportatum in caſtra, atque apud eum plurimis annis manſiſſe: donec Eupatore operâ Pompeii M. devicto & occiſo, partes Cæſaris Dictatoris ſecutus,

lib. 13.

lib. de bello Alex.

ejus amicitiam promeruit : ac initio belli Alexandrini miſſus in Syriam & Ciliciam ad auxilia accerſenda, cum magnis copiis, quas ſuâ diligentiâ confecit, Peluſium opere & pręſidio firmatum, quâ die aggreſſus eſt, in poteſtatem redegit. Inde Alexandriam ad Cæſarem contendens, in itinere Ægyptios ſibi occurrere auſos, magnâ editâ ſtrage fugavit, ac demum Cæſari in ipſo Rege Ptolemæo profligando magnam opem pręſtitit. Itaque ob res ſtrenuè feliciterque geſtas, Tetrarchiam Gallogręcorum jure gentis & cognationis accepit, à Dejotaro paucis ante annis occupatam & poſſeſſam. Peſſundato deinde Pharnace, Rex Boſphori à Cęſare conſtituitur, ut provincias Populi Rom. à barbaris & inimicis Regibus, interpoſito amiciſſimo Rege muniret. Sed ab Aſandro, (cujus rariſſimum aureum Romæ vidi apud Eminentiſſ. Cardinalem Maximum) Pharnacis olim Legato, deinde interfectore, occiditur. Herculea inſignia in priore nummo adſcivit, eò fortè quòd per Achæmenidas, à quibus Pontici Reges orti ſunt, ad Herculem genus referret. In ſecundo viſitur Æſculapius, perpetuum urbis Pergamenæ ſymbolum.

Aliquot illuſtrium fœminarum nummos, quos plurimi facio, hîc non omittendos cenſui.

Primus

PRimus æreus ſecundæ magnitudinis habet caput muliebre, obductum velo, ſub quo florida veluti corona viſitur, & facies majeſtate gravis, cum verbo ΦΘΙΑΣ. In averſa fulmen cum inſcriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΥΡΡΟΥ. XXV. PHTHIA.



Dubitavi primò eſſet-ne ſymbolum Phthiæ, primariæ urbis Phthiotidis provinciæ in Theſſalia: & hanc fortè in ſententiam iiſſem, ſi turritum fœminæ caput eſſet. Secundò, an eſſet aliquis vultus effictus ad libitum Monetarii, pro numine quod iis in locis celebretur, ut Junonis Reginæ, quam ſimul cum Jove Dodonęo in Epirotarum nummis videmus. Tandem, an certæ alicujus mulieris eſſet effigies. Quare audito, poſſe peritos pictores diſcernere, quæ fictitiæ ſint imagines; quæ ad verum aliquem vultum expreſſæ: conſulendos mihi ſuper ea inſignes noſtræ picturæ principes putavi. Hi porro ſuffragati ſunt conjecturæ meæ, de vultu naturali PHTHIÆ filiæ Menonis Theſſali, qui in Lamiaco bello vir fuit

magni nominis; prçſertim cùm PHTHIA fuerit uxor Æacidæ Regis Epiri, & mater Pyrrhi, qui in averſa denominatus, ſententię meę favere videtur. Neque abſurdum etiam eſſet, Reginam hanc ſub Junonis imagine, cum florida corona reprçſentari: cùm non ſit inſolens in nummis, Illuſtrium vultus ſub Deorum iconiſmo delineari. Antonia Druſi, Agrippina Claudii, Sabina Hadriani, cum corona ſpicata in modum Cereris, apud me viſuntur in ęre, argento, auro: atque ita delineatas reperies apud Æneam Vicum, in Auguſtarum imaginibus.

XXVI. Agrippina Claudii.

Quin & nummum Grçcum ęreum, primæ magnitudinis habeo, in quo caput AGRIPPINÆ Claudii effictum eſt ſub icone Cybeles, cum inſcriptione, ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΥΠΕΡΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ.



Quamvis enim deſit illi nomen Agrippinæ, abunde tamen ſuppleri creditum eſt ab Antiquariis no-

ſtris, tum per verba ΚΛΑΥΔΙΘΥ ϹΕΒΑϹΤΟΥ, quæ in hoc caſu regi non poſſunt niſi ab AGRIPPINA conjuge Claudii Auguſti : tum per quandam ſimilitudinem vultus, qui principem iſtam fœminam referre videtur in nummo ; cujus in averſa parte coloſſus capite radiato, coronam trophæo imponit, cum verbo ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ.

SEd vix poſſum omittere eximium nummulum, tertiæ magnitudinis, itidem meum, percuſſum vultu Liviæ, ſeu Juliæ Auguſtæ, & nomine Dianæ, ſub inſcriptione ΑΡΤ..ΣΕΒΑ. hoc eſt, ΑΡΤΕΜΙΣ ΣΕΒΑΣΤΗ. In averſa videre eſt cervum Dianæ Epheſiæ, ut in quibuſdam Auguſti nummis. XXVII. LIVIA AUGUSTI.



Omitto plurimos alios tam ſuperioris quàm inferioris ævi, ex quibus conſtat illuſtres perſonas in nummis ſępiſſimè habitu Deorum repręſentari : ac proinde nomen ΦΘΙΑΣ in nummo expreſſum, matrem Pyrrhi poſſe deſignare, etiam Junonis habitu, mihi perſuadeo. Quòd ſi non arrideat opinio noſtra, rejiciatur nummus inter Dearum imagines ſuperiùs exhibitas.

XXVIII. ALEXANDER EPIROTA.

INterim non ignoramus ſimilem nummum reperiri apud Parutam in ſua Sicilia, ſed ſine explicatione ut ſolet; cujus averſa in parte ſignatum fulmen, ſymbolum fuit Regum Epiri, ut patet ex nummo aureo perraro didrachmo ALEXANDRI fratris Olympiadis in Lucania occiſi; quem plurimi facio, & cujus ectypon præbeo. Habet in antica caput Jovis Dodonæi; in averſa fulmen cum ſpiculo, aſtro, & inſcriptione, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΥ.



Ille enim ALEXANDER EPIROTA, Alexandri M. avunculus, NEOPTOLEMI filius fuit.

XXIX. CLEOPATRA PHYSCONIS.

ALter nummus æreus mediocris magn. præfert caput Reginæ cujuſdam CLEOPATRÆ, ornatum elephantinâ proboſcide, cum inſcript. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. In averſa viſitur aquila expanſis alis, fulmini ſupervolitans, cum inſcr. mutila, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟ . . . . ΟΥ, ſcilicet ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.



Extra omnem controverſiam eſſe debet, hanc CLEOPATRAM Ægypti Reginam fuiſſe, non ſolùm ex Ptolemęi Regis nomine Ægyptiis Regibus familiari; ſed etiam ex inſigni aquilæ, eorum nummis inſculpi ſolito. Unde ſequitur, non eſſe Cleopatram illam Syriæ Reginam, quæ ex Ptolemęorum gente oriunda, primùm Alexandro Balæ, dein Demetrio Nicatori, poſtea etiam ipſius fratri Antiocho Sideti nupſit; ac tot cædibus & ſceleribus famoſa fuit, ut nata exitio Syriæ dicatur: in cujus nummis & legitur nomen Antiochi Syriæ Regis. Nec minùs certum mihi eſt, vultum illum minimè eſſe Cleopatræ M. Antonii, ex comparatione nummorum, quos poſſidemus æreos & argenteos. Reliquum eſt, ut inter Reginas Ægyptias, quæ plures ſunt ejus nomenclaturæ, inſpiciamus quænam noſtra ſit. Pręcipua poteſt eſſe controverſia de Cleopatra Magni Antiochi Aſiæ Regis filia, quæ Ptolemęo Epiphani Ægyptio nupſit. Hanc Daniel vocat *Filiam fœminarum*, id eſt, formoſiſſimam: & ab ea deinceps omnes Ægypti Reginas, Cleopatræ nomen *cap. 11. v. 17.*

ſumpſiſſe quidam autumant. Dubitari etiam poſſet de Cleopatra ipſius filia, quæ Ptolemęi Philometoris, & Ptolemęi Evergetæ fratrum ſuorum deinceps conjux extitit. Sed neutra mihi videtur cum tanta poteſtate rerum potita, ut nummis vultum ſuum imprimeret, pręterito vultu Regum, qui ejus ævo ſuperſtites fuerunt.

At CLEOPATRA Philometoris & hujus poſtremæ filia, Cleopatræ Regum Syriæ conjugis ſoror natu minor, multis pręrogativis aucta eſt; quibus facilè adducor, ut eam credam ſibi nummorum cudendorum facultatem, neglectis Regibus, arrogaſſe, ipſiuſque eſſe noſtrum nummum. Ptolemęus enim Evergetes, aliis Phiſcon, conjux & patruus, moriens ipſi regnum reliquit, & ei ex liberis quem illa legiſſet: Inofficioſo ſanè teſtamento, & majoris natu jure in regnum violato, ut mulieri adblandienti gratum faceret; cùjus etiam amore percitus, priorem uxorem Cleopatram repudiarat, ejuſdem matrem ex Philometore.

Cùm ergo CLEOPATRA noſtra, poſtrema Evergetis ſeu Phiſconis uxor, regnum in poteſtate haberet, & in minorem filium Ptolemęum Alexandrum pronior eſſet; majorem tamen Ptolemęum Lathurum eligere, à populo compulſa eſt. Sed illum regni ſocium non ferens, & no-

vercali pluſquam odio proſequens, turbare non deſtitit, donec elapſis annis pluribus, duabus ejus uxoribus tractu temporis abductis, populo concitato extorrem egit, accerſito ſpecie tenus in ejus locum juniore fratre Alexandro. Nec filium expuliſſe contenta, Cypri exulantem bello adegit, ut in Syriam confugeret. Interim Alexander, qui precariò tantùm & nomine Rex erat, adeò ut illum autores quidam ex albo Regum Ægyptiorum expungant, crudelitate matris territus, ipſam deſeruit, ſcenico regno privatam & ſecuram vitam anteponens; dum eadem pulſum Cypro Lathurum uſque in Syriam, redintegrato bello, cui præſens aderat, perſequitur. Sed revocato iterum Alexandro, mox ipſius tædere cœpit: & extrema quæque juniori filio parabat, niſi is inſidiatricem prævertens, periculum certum & imminens evaſiſſet. Sic ſuperba illa Regina, quæ filiis & filiabus illudebat, regna, connubia, viros, uxores pro arbitrio & tyrannica dominandi libidine commutans; meritas ſcelerum pœnas luit, poſtquam annos ampliùs ſeptem & viginti, omnia ſuſque deque miſcuiſſet. Itaque nil mirum, eam cum poteſtate regia jus monetæ uſurpaſſe, & nummum noſtrum vultu ſuo ſignaſſe. Proboſcis elephanti, quâ inſignitur, Africæ Imperium deſignat; cujus partes præcipuas, Ægy-

ptum & Cyrenaïcam regionem, obtinebat.

XXX. IOTAPE. ALius item æreus ſecundæ magnitudinis, habet ab una parte caput fœmineum cum diademate, & inſcriptione mutila, ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΙΩΤΑΠΗ . . . . . ΔΕΛΦΟΥ, hoc eſt, ΙΩΤΑΠΗ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. In altera videtur corona laurea, cujus in medio eſt gammarus aut ſcorpius, cum inſcript. ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ.



Quatuor ejus nominis illuſtres fœminas comperi. Prima fuit filia Regis Emeſenorum, apud *Ant.l.18.c.7.* Joſephum, quæ Ariſtobulo Herodis Aſcalonitæ nepoti nupſit, & ſecundam ſibi cognominem filiam genuit. Tertia ibidem deſignatur Antiochi Regis Commagenorum filia, connubio juncta cum Alexandro filio Tigranis, Armeniæ Regis à Nerone conſtituti. Denique iſtis antiquiorem quartam reperimus, filiam Regis Medorum Artavaſdæ, quam M. Antonius Alexandro ex Cleopatra filio deſponderat. De duabus prioribus non ambigo: nil ad noſtrum nummum. De quarta dubitavi

dubitavi aliquandiu: ſed dubium diſpellit Dio, cùm eam patri, qui poſt devictùm Antonium ad Auguſtum confugerat, ultrò redditam aſſerit, ſine ulla matrimonii mentione. Tandem pro tertia ſtandum eſſe cenſui; tum quia Commagena eſt origine, ut patet ex Commageno ſuo nummo, in quo mentionem fecit, ſive patris Antiochi, ſive conjugis Alexandri ſub cognomine PHILADELPHI, his gentibus familiari, quod adaptari utrique poteſt: tum etiam ex cęlatura numiſmatis, quæ convenit cum ævo Neronis & Veſpaſiani, à quo Joſephus aſſerit Alexandrum IOTAPES conjugem, in Cilicia Regem factum. *lib. 51.*

SEd quâ fiduciâ, quo titulo, rurſus ſecundæ magnitudinis exhibebo nummum, ſignatum vultu fœminæ, cujus ortum & ſtirpem, dotes & res geſtas prorſus ignoro? nempe ut excitem Antiquariorum induſtriam, & ſit inter eos aliquis, vel acutior nobis, vel felicior, qui rem abſtruſam aperiat. Habet in antica parte caput fœmineum inſolito ornatu, cum verbis IOΥ. ΠΡΟΚΛΑΝ ΗΡΩΙΔΑ, *Juliam Proclam Heroïnam*. In averſa ſedet Apollo citharizans, cum inſcriptione, ΕΠΙ ϹΤΡΑ. ΑΠΟΛΛΩΝΙ. ΜΥΤ. *Prætore Apollonio Mytilenæorum.* XXXI. PROCLA.



De PROCLA multos conſuluimus è Gręcia perinde atque Latio vetuſtos autores; multos utriuſque hiſtoriæ peritiſſimos nequicquam evolvimus. Fr. Gottifredus, Romanæ antiquitatis illuſtriſſimus genius, conjectabat ex nummi fabrica, cuſum fuiſſe eum tempore M. Aurelii Imperatoris, ſub quo Proclus quidam Grammaticus, Conſul factus eſt, & ad Proconſulatum provectus; illiuſque filiam eſſe noſtram JULIAM PROCLAM HEROÏNAM; niſi Proclus (qui etiam, ut opinor, Julius Proculus dicitur, à Commodo interemptus apud Lampridium) ex Lycia oriundus eſſet, quæ multùm diſtat ab inſula Leſbo, in cujus primaria civitate cuſus eſt nummus noſter. Alii Proclam nobilem fuiſſe matronam exiſtimant, de Mytilenęis benemeritam, quam ideo heroïcis honoribus affecerint. Qui plura & certiora nos edocebit, maximam ei gratiam debebimus.

IGnotæ Heroïnæ celeberrimam aliam ſufficie- mus, ZENOBIAM Palmyrenorum Reginam, cujus virtutes & pręclaras dotes attingere ſuper- vacaneum eſt, cùm ſit omnibus ob rerum geſta- rum claritatem notiſſima. Duo tamen, eam ne præterirem, perſuaſerunt; raritas nummi cui in- ſculpta eſt, & nomen familiæ *Septimiæ* in eo ex- preſſum. Æreus eſt, mediocris magnitudinis, & à parte capitis exarata ſunt hæc verba, CEΠTI- MIA ZHNOBIA CEB. In averſa viſitur figura Spei, dextrâ florem aut gramen geſtantis, ſini- ſtrâ veſtem ſublevantis more ſolito, cum notis hinc inde L. E. quæ annum regni quintum deſi- gnant. XXXII. ZENOBIA.



Qui Zenobiam in triumphum ab Aureliano ductam nobis tradiderunt, ſimul & ipſam libe- ram dimiſſam reliquum vitæ tempus Romæ cum liberis tranſegiſſe aiunt, aut in villa ſua ruſtica, Tiburi vicina, in qua ſummo honore conſenuit: adduntque ab ea duxiſſe originem familiam quan- dam *Zenobiam*. Sed pauci admodum de natalibus

ipſius differunt, & Syram aut Hebręam opinantur, religione & cultu Judæam, deinde Chriſtianam: adduntque Ptolemęorum gente ortam, CCC. annis poſtquam hæc in Cleopatra deſiit regnare. An ex Ptolemęo Philadelpho M. Antonii & Cleopatræ filio? Sanè in epiſtola, quam ad Aurelianum ſcripſit apud Vopiſcum Zenobia, mentionem facit Cleopatræ, quam in morte imitari velle videbatur potiùs, quàm dignitate minui. Sed nihil prorſus de affinitate. At ex nummo noſtro ſuſpicari poſſumus, oriundam eſſe ex familia Septimia Romana; & *Septimiæ* nomen in nummo expreſſum, gentilitium ipſius eſſe, libentiùs crediderim, quàm ZENOBIÆ, quod agnomen aut cognomen ſonat. Fuit certè Septimius quidam inter pręcipuos ultimi Ptolemęi aulicos, qui Pompeium M. occiderunt. Is ſi affinitate per mulierem aliquam Regum conſanguineam conjunctus Ptolemęo fuit, & Ægypto à Romanis ſubactâ, in Syria nomen familiamque propagavit: quidni Septimia Zenobia ex ea gente, ac proinde à Ptolemęis orta credatur? Quin & Septimius Severus Imperator, aliquando ei provinciæ pręfuit, ut patet ex ipſius adlocutione ad exercitus Illyricos apud Herodianum; ab eoque in Syria poſſet originem duxiſſe gens iſta Septimia. Sed in re tanti momenti, & obſcura vetuſtioris ævi caligine, ſub

levi conjectura, abſque ſolidiori fundamento decernere, nimis temerarium.


CAPUT III.

De Nummis quibuſdam Familiarum.

HACTENUS Græciæ, ejuſque nummis fermè unis operam dedimus; nunc quod inſcriptione ſua primus hic nummus admonet, ROMÆ ET IMPERIO navanda eſt. Ac primùm, hoc eſt, Romanis quibuſdam familiis, quæ ut plurimùm ſtante Rep. atque etiam adoleſcente Imperio, illuſtres fuerunt: deinde ſoli Imperio, Romanis ſcilicet Imperatoribus. Utriuſque generis numiſmata nonnulla, ſeu Græcam præferant, ſeu Latinam epigraphen, deinceps proferemus. De prioribus nonnihil prælusimus in epiſtola noſtra ad Fr. Gottifredum, plura fortè daturi, niſi Patinus noſter, rei nummariæ illuſtrandæ natus, feliciori genio opus aggreſſus eſſet. Ex quo enim nobis ſuam de reſtituendo Urſino mentem aperuit, ſtudioſiſſimo viro hanc provinciam captanti, rariores noſtros Familiarum Romanarum nummos lubenter ceſſimus, cum

I. CANINIUS AGRIPPA.

ſuis multò præclariùs & digniùs in lucem emittendos. Pauculos igitur recèns comparatos hîc ſubjiciemus. Primum occupet locum, qui opportunè nobis hanc in rem advenit, nummus æreus ſecundæ magnitudinis, in quo ab una parte caput muliebre turritum, cum inſcriptione magnifica, ROMÆ ET IMPERIO. In altera ſtat Victoria, dextrâ coronam, ſiniſtrâ palmam tenens, cum his notis, L. CAN. AGRIPPA IIVIR. COR. hoc eſt, *L. Caninio Agrippa Duumviro Corinthus.*



Cuſum Corinthi nummum hunc fuiſſe, certum eſt: at quo tempore, dubitavi; donec recordatus ſum, vidiſſe me inter eximios illuſtriſſimi Lomenii nummos, ſingulariſſimum unum Galbæ Imperatoris, cum capite ipſius & epigraphe ſolita, habentem in averſa templum, cum eadem omnino inſcriptione, L. CAN. AGRIPPA IIVIR COR. Et quia in nummis Galbæ frequens Romæ fit mentio, huc alluſiſſe videtur Duumvir noſter, ut cultum, quo Imperator urbem Orbis dominam & Imperii primariam proſequebatur, in nummo exprimeret: ideo ipſum ævo Galbæ

addicimus. De familia Caninia conſulendus Urſinus. Quis ille fuerit Agrippa, non liquet: ſed inter primarios viros enumerandum cenſeo, quia Duumviratus Corinthii præcipuam quandam dignitatem fuiſſe, eo maximè perſuaderi puto, quòd eo munere honeſtari non renuit aliquando, imperante Auguſto, Tiberius ipſe jam Cæſar; ut me docet nummus meus, habens ab una parte caput Julii, qui olim coloniam Corinthum deduci curaverat, cum inſcriptione, M. AEMI.... LABEONE II.... D. D. ab altera caput Auguſti, cum inſcript. TI. CAESARE II. V....

Sed ut proſequamur familiarum nummos, notandum, in ampliſſima & accurata Fulvii Urſini collectione nummorum ad familias Romanas pertinentium, qui ad ſeptingentos ſexagenos accedunt, duos ſolos reperiri, idque in Antonia familia, maximos argenteos, de numero eorum qui ab Italis dicuntur *Medaglioni*. Quo rariores exiſtimandi mihi videntur duo ejuſdem ponderis & magnitudinis, hîc appoſiti tetradrachmi, quos à regia ſereniſſimæ Chriſtinæ liberalitate accepi, conciliatore illuſtriſſimo & fideliſſimo amico Fr. Gottifredo.

Rariores inquam, tum quòd duplici linguâ inſcripti ſint, Græcâ ſcilicet & Latinâ: tum quòd memoriam renovent duorum illuſtrium Roma-

norum, qui Ciliciam deinceps & continenter, Proconſulari poteſtate, difficillimis temporibus belli Parthici, quod Craſſus in ſuam & Reip. perniciem acciverat, adminiſtrarunt. Paulò majores expreſſit ſcalptor, quàm reipſa ſint: ſed ejuſdem ſunt omnino typi, pręter inſcriptionem, quæ in uno his conſtat notis, AP. AP. F. PVLCHER PROCOS. ΛΑΟ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ ΞΩΣΙΜΟΣ. In altero M. TVLL... IMP. ΛΑΟ. ΛΑΒΑΣ ΠΥΡΡΟΥ. Uterque habet à parte inſcripta caduceum & angues duos, qui ſpiris ingentibus pharetram & arcum amplectuntu. Ab altera viſitur corona ex hederæ foliis & baccis; & in medio coronæ ciſta, ex qua prodit ſerpens, ſine inſcriptione.




II. APPIUS CLODIUS PULCHER.

PRimus ſub nomine *Ap. Clodii Ap. Fil. Pulchri* cuſus eſt, qui P. Lentulo & Q. Metello Coſſ. Pretor fuit, & ex Pretura Sardiniam obtinuit: deinde A. U. C. DCXCIX. aut, ut placet Dioni, DCC. cum L. Domitio Ahenobarbo Coſ. Magiſtratu

Magiſtratu exiens, Ciliciæ prẹfuit. Pauca apud autores extant de ipſius adminiſtratione in ea provincia, quamvis triennali: niſi quòd Imperatorium nomen, quo inſignitur à Cicerone in Epiſtolis, rem ab eo bene geſtam indicat; ut & ſtudium quod oſtentat, in decernenda ſupplicatione, ob res ab Appio proſperè geſtas. Speravit etiam triumphum: & obtinuiſſet, niſi ademiſſet P. Dolabellæ accuſatio, qui eum de majeſtate & ambitu poſtulavit, tanta contentione, ut niſi Appius, qui ruri pro more remanſerat ob petitionem triumphi, urbem, abjecto triumphandi conſilio, continuò fuiſſet ingreſſus, grave periculum ſubiiſſet. Sed ſimul ac Dolabella acceſſit ad tribunal, paratior viſus eſt Appius, quàm ſperaverat accuſator, eumque ſuâ præſentiâ repreſſit ac retudit. A.U.C. DCCIII. Cenſor factus, cum L. Piſone Cæſaris ſocero, multos Equites & Senatores notavit, invito collegâ; & inter alios Senatu movit Criſpum Saluſtium, qui hiſtoriam conſcripſit: quo effecit, ut hi omnes deinceps Cæſarianas partes ſequerentur. Siquidem Piſo, ut plurium amicitiam genero demereretur, nullum notandum cenſuit. Obiiſſe Appium poſt pugnam Pharſalicam, autor eſt Valerius.

lib. 5.

lib. 1. cap. 5.



III. M. TULLIUS CICERO.

SEcundus nummus *M. Tullio M. F. Ciceroni* tribuendus eſt, qui duodecim circiter annis, poſt celebrem illum Conſulatum, quo Romam à conjuratione Catilinæ liberavit, in adminiſtratione Ciliciæ Appio ſucceſſit, A. U C. DCCII. Pauca item de rebus à Cicerone geſtis nota nobis eſſent, niſi quædam nos ipſe in ſuis ad Atticum & alios epiſtolis docuiſſet; quæque ideo hîc minimè omittenda cenſui. Quòd enim Laodicenſes Proconſulis nomen numiſmatibus ſuis inſcripſerint, vel ob rerum iſtarum claritatem factum eſt, vel quòd pacis artes eorum in urbe diutius exercuerit. *Nos Aſia*, inquit ille, *accepit mirabiliter, adventus noſter ne minimo quidem ſumptui fuit; levantur miſeræ civitates, quòd nullus fit ſumptus in nos. Incredibilem in modum concurſus fiunt ex agris & vicis, ex domibus omnibus. Mehercule etiam adventu noſtro reviviſcunt juſtitia, abſtinentia, clementia tui Ciceronis.* Hæc M. Tullius; cui non ita bene cum deceſſore tunc conveniebat.

lib. 6 Epiſt. ad Attic.

Nam præterquam quòd parùm amici, immò inviſi, à ſe invicem diſceſſerunt, ut Romam venit Appius, conqueſtus eſt quòd Cicero ædificationem cujuſdam monumenti, quod provinciales in honorem ipſius conſtruere decreverant, impediret, aut ſaltem non promoveret; atque etiam Legatos, Romam ituros ad laudandum Appium, diſtineret. Interim Cicero, rebus ſtatim ordinatis ac compoſitis in clariſſimis provinciæ ſuæ urbibus Laodicea, Apamea, Synnadis, Philomelo, Iconio, & luſtrato exercitu, ad Cybiſtra Cappadociæ pervenit; ubi dum caſtra habet, Cappadociæ Regem Ariobarzanem, opem ſuam implorantem, & ſibi à Senatu commendatum, præſentibus & gravibus inſidiis impetitum, conſilio & autoritate ſua liberavit. Inde in Ciliciam contendit ad Amanum montem, qui Syriam à Cilicia dividit, cujus incolæ rebus Parthicis favebant. Hic ad III. Id. Octob magnum hoſtium numerum cecidit, plures urbes & caſtella cepit, aut incendit: quibus rebus geſtis, IMPERATOR appellatus eſt, VICTORIA JUSTA, ut ipſe ad *lib. 2. ep. 10.* Cœlium Rufum ſcribit. Certum enim hoſtium numerum eſſe oportuit, quo cæſo dux exercitus Imperatoris nomen conſequeretur: quamvis eâ conſuetudine paulatim depravatâ, multi, paucis hoſtium cæſis, Imperatores appellati ſint. Tan-

dem Pindeniſſo Eleuthero-Cilicum oppido primario, LVII. dierum gravi obſidione capto, exercitum in hyberna dimiſit per Quinctum fratrem.

Epiſt 2. lib. 6. ad Atticum. Ipſe, æſtivis confectis, Tharſo Laodiceam ſe contulit, ibique forum egit ex Id. Feb. ad Kal. Maias, omnium diœceſcon, prçterquam Ciliciæ. *Ep. ult. lib. 5.* De hoc foro etiam ad Atticum his verbis: *Id. Feb. forum inſtitueram agere Laodiceæ Cybiraticum, & Apameenſe: ex Id. Mar. ibidem Synnadenſe, Pamphylium.* Quod ut clariùs intelligatur, ſciendum, ſub imperio Cilicienſi Ciceronis plures fuiſſe provincias; nempe Ciliciam ipſam, ex qua tota administratio nomen accipiebat; Pamphyliam, Lycaoniam, & Phrygiæ majoris partem ultra Mæ- *Ep. 67. l. 13.* andrum; deinde tres diœceſes, quas Aſiaticas vocat, nempe Laodiceam, Cybiram, Apameam, quas Appius quoque rexerat extra ordinem, quippe quæ ad Aſiæ Proconſulem antea pertinebant. Quin & Cyprus inſula, poſt Legem Clodiam Piſone & Gabinio Coſſ. latam, à Lentulo ſimul cum Cilicia eſt adminiſtrata: item ab Appio & *ult. lib. 5. & prioribus lib. 6* Cicerone, ut latè patet ex epiſtolis ad Atticum.

Earum omnium provinciarum ſeu diœceſeon, prima Procos. Româ advenienti occurrebat LAODICEA, caput unius Aſiaticæ diœceſis, quam *Ep. 20. lib. 5.* Cicero maximam appellat. Ad ipſam primò ac-

ceſſerat prid. Kal. Sextiles, provinciam ingrediens. LAODICEAM rediit ineunte menſe Feb. ibique manſit uſque ad Id. Maias : ibi Jus dicebat, & forum agebat omnium diœceſeon. Denique ad LAODICEAM rationes confectas adminiſtrationis ſuæ depoſuit. Ex quibus omnibus prærogativis concludere poſſumus, Græcas haſce litteras ΛΑ°. in nummis ſignatas, poni pro integro verbo ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, & exprimere LAODICEAM urbem, in qua cuſi fuerunt. Ad Lycum fluvium ſita erat, & à Seleuco Nicatore cum Apamea condita. Et Apamea quidem de nomine uxoris; LAODICEA verò de nomine matris Laodices appellata. Strabo eas vocat Phrygiarum urbium maximas. Quis ergo miretur, fuiſſe LAODICEÆ, cudendæ monetæ officinam? Angues illi pharetram & arcum amplectentes, ad Herculis arma à quibuſdam referuntur in ſimilibus nummis, vel ad ſerpentes quos eliſit. Sed commodius eſt, opinor, Aſiæ ſymbolum interpretari. In nummis M. Antonii, cui Aſiæ regimen obtigerat, poſt pugnam Philippenſem duo ſimiles angues inſculpti ſunt, ut videre eſt apud Urſinum in Familia Antonia, numm. VIII. & X. Sed quod omnem dubitationem tollere videtur, in manibus Antiquariorum verſatur quinarius argenteus Auguſti, ejuſdem typi, *lib.* 12.

& cum inſcriptione, ASIA RECEPTA, ab Auguſto poſt Antonium devictum cuſus. Equidem apud veteres, ejuſmodi ſerpentes potentiam, ubertatem & genios provinciarum innuere dicuntur, ut notat illuſtris noſter Triſtanus in fine tomi primi, & annotamus in Epiſt. ad Excellentiſſ. COLBERTUM. Caduceo pax & felicitas deſignantur. Sed ciſta illa, ex qua exilit ſerpens, in medio coronæ ex hederæ baccis & foliis contextæ, quæ viſitur in altera parte numiſmatum, ad Bacchum pertinet: vel quòd vini ferax fuerit ditio Laodicenſis; vel quòd inter præcipuos urbis Tutelares cultus fuerit Liber pater. In ejus enim orgiis, ejuſmodi ciſta ferebatur, quæ arcana ipſius myſteria continebat. Serpentes etiam geſtabant Bacchantes; unde Catullus:

Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant,
Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis;
Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.

Apollonii & aliorum nomina, ſunt Magiſtratuum Græcorum, qui LAODICEÆ & in aliis civitatibus αὐτονόμοις, hoc eſt, legibus ſuis utentibus, erant Prætorum loco, & vocantur στρατηγοὶ utplurimùm in nummis, aliquando etiam ἡγεμόνες. De his vel ſimilibus conqueritur Cicero ad Atticum his verbis, quæ huic commentatiunculæ finem imponent: *Mira erant in civitatibus ipſorum furta*

Epiſt. 2. lib. 6.

Græcorum, quæ Magiſtratus ſui fecerant. Quæſivi ipſe de iis, qui annis decem proximis magiſtratum geſſerant: apertè fatebantur. Itaque ſine ulla ignominia ſuis humeris pecuniam populis retulerunt.

POſtulare videtur, ſi nulla alia, certè nominis ipſius affinitas, ut M. Tullii nummo æreo locum hîc tribuamus. Habet in anteriori parte caput muliebre velatum, cum duplici ſpica frumentaria ad pectus, & inſcribitur, ΕΠΙ Μ. ΤΥΛΛΙ. *ſub M. Tullio.* In averſa ſtat Dianæ Epheſiæ ſimulacrum, cum verbo, ΤΡΙΜΕΝΘΥΡΕΩΝ, *Trimenothurenſium.* IV. TULLIUS CIMBER.



Nummum iſtum elegantiſſimum dono accepi Romæ ab erudito & ſolertiſſimo rerum antiquarum indagatore Franciſco Camelio, quem Sereniſſima Regina Chriſtina, pro ſua in bonas artes & earum ſtudioſos propenſione, nedum Oratorii ſacris & ſuæ Bibliothecæ præfecit; ſed etiam in promovendo & adornando veterum ſuorum numiſmatum ſtudio verè regio, illuſtriſſimi Franciſci Gottifredi, nunquam ſatis deflendi, vices

ſuſcipere & reparare meritò juſſit.

Hunc nummum ad pręcedentem M. Tullii Ciceronis familiam referendum, locus in quo cuſus eſt, ſuadebat: ſiquidem TRIMENOTHURITÆ limitanei erant Phrygiæ majoris ultra Męandrum, quæ, ut ſuprà annotavimus, in adminiſtratione Cilicienſi addicta erat Ciceroni. Sed cùm Imperatoris nomen, quod Ciceroniano nummo adſcribitur, deſit in iſto, monumentum ſingulare crediderim illuſtris alterius Tullii, cujus nomen in nummis rarum, nempe TULLII CIMBRI, qui inter pręcipuos Cæſaris Dictatoris percuſſores numeratur. Etenim Trimenothuritæ, apud quos cuſûs eſt, inter Phrygiam majorem & Bithyniam ſiti ſunt; at Bithyniæ viciniores. Conſtat autem ex Appiano & aliis, TULLIUM CIMBRUM interfecto Cæſare in Bithyniam, ut eam regeret, properaſſe. Quin & Brutum ipſum ac Caſſium, ob Antonii & junioris Cęſaris potentiam, Româ decedere coactos, uno eodemque momento ad Trebonium in Aſiam, & ad Cimbrum in Bithyniam ſcripſiſſe, ut militum delectum agerent, & pecunias colligerent, autor eſt idem Appianus.

l.4.bell.civ.

Igitur TRIMENOTHURITAS ratione viciniæ ſub adminiſtratione Bithynica Cimbrii fuiſſe, & ejus nomine nummos cudiſſe, facilè adducor ut

cor ut

cor ut credam: quemadmodum in aliis Aſiæ provinciis, à Cęſaris percuſſoribus occupatis, ſignatam eorum nominibus pecuniam, patet ex familiæ Caſſiæ, Juniæ, Serviliæ, & aliarum nummis, quos deſcripſit Goltzius, & præ manibus habemus. *in percuſſor. Cæſaris.*

Neque verò faceſſere cuiquam negotium debet nominis ſcriptura: quanquam enim Τούλλιον nonnulli ſcribant, ut Dio; plures tamen cum nummo noſtro, Τύλλιον, ut Appianus, & Plutarchus in Cicerone, Cæſare & Bruto. Attilium Cimbrum qui priùs vocitarunt, ex eodem revincuntur nummo: & mendum certè in Gręcis Appiani verbis animadvertit dudum Latinus interpres: ubi enim librariorum vitio Græcè legitur Ατίλιος, ipſe Latinè Tullium reddidit. Idem *Tullii Cimbri* nomen apud Senecam multis in locis, & apud Suetonium in Julio legitur. Quem in Suetonii locum Caſaubonus: *Tullius*, inquit, *appellatur in omnibus auctorum Latinorum codicibus, & Græcorum nonnullorum.* In hoc Caſaubonus peccavit, quòd Lucium Tullium appellaverit, cùm Marcum debuiſſet, ut ex nummo conſtat; immò & ex Plutarcho, apud quem cùm Μέτιλλος Κίμβρος mendosè vocetur, nemo non videt ſcriptum eſſe Μέτιλλος pro Μ. Τύλλιος: adeò in depravata voce veſtigium & argumentum veri nominis relictum eſt.

M

Ex his porrò conſtat, quæ ſit habenda fides nummo argenteo Attilii Cimbri, quem Vir eruditus in lucem edidit, repugnantibus amicis, qui ejus nummo ſępius novæ fabricæ notam inuſſerunt.

V. M. CÆCILIUS AQUINUS.

ECce aureus inſignis, & inter rariores reponendus, habens ab una parte caput Libertatis, cum inſcriptione, M. AQVINVS LEG. LIBERTAS. In altera tripodem, cum inſcriptione, C. CASSI. IMP.



Aquinus, gentis ſeu familiæ nomen creditum eſt à pluribus, non noſtratibus tantùm, ſed Romanis etiam & Italis, qui in re antiquaria principes habiti ſunt. Sed re accuratiùs expenſâ, cognomen tantùm eſſe deprehenſum eſt: quippe gentilitia Romanorum nomina, ut rectè obſervavit Car. Sigonius, in *ius* deſinunt, ut *Cornelius*, *Julius*. Quamvis autem pauci aliquot illuſtres viri, quaſi gentilitii nominis expertes, huic regulæ adverſari videantur, ut *M. Perperna* & *Norbanus*, Conſulares, qui ita in libris, & Capitolinis mar-

lib. de Nomin. Rom.

moribus nominantur: id tamen contigiſſe videtur, aut quòd ipſi cognomine magis quàm nomine delectati ſint, ut M. Agrippa, cujus gentilitium *Vipſani* nomen in lapidibus & nummis vel omiſſum, vel raró admodùm inſcriptum eſt; aut certè, quòd eorum nomina ignota remanſerint. Sed de *Aquino* ne dubitare quiſquam poſſit, facit Corn. Tacitus, dum *Cornelium Aquinum* lib. 1. Hiſt. Legatum nominat, qui Fonteium Capitonem in Germania imperium meditantem, Nerone mortuo oppreſſit. Cujus Legati gens aut familia, dum indubitanter adſeritur *Cornelia*, reſtat ut *Aquinus* cognominis locum retineat. Facit & nummus unus, in quo idem *Cæciliæ* genti cognomen tribuitur. Is æreus eſt, ſecundæ magnitudinis, hinc caput Tiberii prçferens, inde bovem cum inſcr. CAEC. AQVIN. IIVIR. MVN. TVR. Ad nullum tamen Aquinorum iſtorum pertinet nummus noſter, ſed ad alterum ſuperioris ævi; quem, niſi me valde conjectura fallit, apud hiſtoriæ Romanæ autores duos latentem reperi. Siquidem Hirtius, aut ſi mavis Oppius, mentionem facit lib. de bell. Af. *M. Aquini* Pompeianarum partium, quem hominem novum & parvum Senatorem appellat: conqueriturque Jubæ Regi barbaro potiùs obedientem fuiſſe, quàm Scipioni Imperatori ſuo. Huic etiam Cçſar, poſt victoriam Thapſenſem,

vitam concesſit. Certè in codice reperitur *Aquinius*, non *Aquinus*; ſed malè: ejuſdem enim, ut opinor, meminit App. Alexandrinus, inter illos, qui participes gloriæ cædis Cęſar[illegible]æ cenſeri voluerunt, quamvis ſocii facinoris non eſſent; & *Aquinum* vocat, non *Aquinium*. Immò eundem cenſeo atque *Cæcilium*, quem nomine familiæ ſuæ *Cæciliæ* paulò antè ſignaverat inter familiares C. Caſſii, poſtea verò cognomine ſuo appellavit *Aquinum*. Quòd ſi familiaris C. Caſſii fuit, nil mirum poſtea legatum ipſius fuiſſe, ut notat nummus, in bello quod à Bruto & Caſſio adversùs Antonium & Octavianum Cęſarem geſtum eſt.

Lib. 2. bell. civ.

Tripus ille in nummo ſignatus, & Apollini ſacer, indicat ludos Apollinares, qui ordinantibus & procurantibus Bruto & Caſſio celebrati ſunt. Erant enim Pretores tum, cùm Cæſarem interfecerunt; ideoque ad eos pertinebat ludorum iſtorum celebratio, ut Livius pluribus locis docet: quo munere magnificentiſſimè defuncti ſunt, quamvis abſentes ob metum veteranorum Cęſaris. Vide Ciceronis Philippicas, atque etiam Ful. Urſinum, qui de his ludis eruditiſſimè diſſerit in Familia Junia.

Philipp. 2. & 10.

VI
L. MÆVIUS POLLIO.

MÆviæ gentis, quam non recenſet Urſinus, numiſma reperi Avenione. Æreum eſt, &



parvum, in antica parte habens laureâ coronâ inſignitum caput Auguſti juvenis, cum inſcript. L. POL. MAEVI. in averſa aſtrum in medio Lunæ falcatæ, quale videre eſt in argenteo Auguſti denario IV. gentis Petroniæ apud Urſinum. Hujus familiæ fuit, ut opinor, *C. Mævius* Centurio, quem M. Antonius, Alexandriæ obſeſſus à Cęſare, captivum reduxit tum, cùm eruptione factâ ex urbe Alexandrina, Cęſarianos equites obſidioni adventantes, imparatos & itinere feſſos, in fugam vertit. Is adductus in conſpectum Cleopatræ, & interrogatus ab Antonio, ecquid de ſe ſtatui vellet, reſpondiſſe fertur: *Se neque ſalutis beneficio, neque mortis ſupplicio adduci poſſe, ut Cæſaris miles eſſe deſineret, & Antonii eſſe inciperet.* Cujus conſtantiæ admiratione incolumis abire permiſſus eſt. Quis & qualis fuerit *L. Mævius Pollio* in nummo ſcriptus, nondum comperi.

SExtiæ familiæ nummum ęreum ſecundæ magnitudinis explicandum ſuſceperam, in quo viſitur, cum verbo NASICA, probi illius juvenis VII. P. CORN. SCIPIO NASICA.


Naſicæ vultus, quem unum ex omnibus dignum Senatus judicavit, qui matrem Idęam ex Aſia adventantem exciperet. Sed cùm animadverti, quàm id eruditè Jo. Faber, quàmque copioſè pręſtiterit in libro Imaginum Illuſtrium Ful. Urſini: inutilis hic mihi ac ſupervacaneus futurus labor viſus eſt. Quia tamen averſam à capite partem

C. Sextius. ſcalpello non edidit, in qua C. Valerius & C. Sextius, Ædiles Pleb. ab ipſo Fabro recenſentur; hîc reponendum putavi nummum meum integrum,



ut Antiquariis facerem ſatis in hac parte, dum Fabro in eo exponendo tam feliciter ceſſit: ſimul ut Familiam SEXTIAM, quam Urſinus in ſuis Familiis Romanis non agnovit, exhiberem.

VIII. C. Sosius. IGitur ad *Soſiæ* gentis nummum me converto. Æreus eſt, ſecundæ magnitudinis, habens in antica parte caput M. Antonii Triumviri, alacri & liberali vultu, ſine litteris: in poſtica tropheum cum duobus captivis, & inſcriptione, SOSIVS IMP.




C. Soſius, Syriæ & Ciliciæ ab Antonio Pręfectus fuit, poſtquam P. Ventidius, devictis Parthis & Labieno, è provincia deceſſit. Ac primùm quidem *Soſius* Aradios, qui ſoli Ventidio reſtiterant, fame & longa obſidione preſſos, in poteſtatem redegit. Deinde Antigonum Judæorum Regem, ultimum ex ſtirpe Aſmonæorum, pręlio devictum, & Hieroſolymis quo confugerat obſeſſum, junctis cum Herode Aſcalonita copiis expugnavit, & vivum captum miſit ad Antonium, qui ut Herodi gratificaretur, infelicem Principem, novo & inaudito apud Romanos exemplo, Antiochiæ capitali & ſervili ſupplicio affecit. Interim *Soſius* relictis Hieroſolymis, ubi coronam auream Deo ſacraverat in templo, Romæ ex Judæa triumphavit, anno Urbis conditæ DCCXIX. quem triumphum ſeu victoriam deſignat trophæum in averſa parte nummi. Sequente anno cùm Antonius in Syriam revertiſſet, *Soſius* ab omni expeditione bellica quievit, ne ſuſpectus eſſet Antonio, & pro æmulo infeſtoque haberetur: ut antea Ventidio contigerat, cujus

rebus fortiter feliciterque geſtis, non modò non gratulatus eſt Antonius, ſed etiam invidit; eique, ut refert Dio, imperium abrogavit, quamvis poſtea triumphaverit. Anno U. C. DCCXXI. *Soſius* Conſul factus cum C. Domitio Ahenobarbo, ipſis Kal. Jan. multa frequenti Senatu in Cæſarem Octavianum abſentem dixit, Antonii partes magno ſtudio & contentione fovit, etiam adversùs Cæſarem edictum propoſiturus, ni Tribunus plebis interceſſiſſet. Poſtea cum collega & plurimis Senatoribus ad Antonium tranſiit, reverſo Cæſare; cauſſatus, eo præſente non licere Conſulibus liberè de Republica agere. Demum prçlio navali ab Agrippa ſuperatus eſt & occiſus, cum Tarcondimoto Ciliciæ Rege, paucis ante pugnam Actiacam diebus. Alii aſſerunt ab Auguſto vitâ donatum, receptâ Ægypto.

IX. C. TREBONIUS.

SOſio Antonianarum partium fautori ſubjiciendi ſunt duo adverſæ factionis aſſertores, *C. Trebonius*, & *L. Statius Murcus*. Utrumque deſignat parvulus, ſed rariſſimus, nummus çreus,



qui ab

qui ab altera parte habet caput Vulcani, ab altera Victoriam in quadrigis, cum inſcriptione, STATI. TREBO.

C. Trebonius, & *L. Statius Murcus* C. Cæſari Dictatori primùm adhæſerunt. Ille Cæſaris Legatus in Britannia, hoſtes ſupervenientes, magno eorum numero cæſo, in fugam compulit, & legiones tres, quæ pabulatum iverant, præſidio equitatus, cui præerat, ſervavit. In Gallia Romanos, in caſtello Vatuca obſeſſos à Germanis, liberavit. Bello civili Pompeiano Maſſiliam, poſt arduam & diuturnam obſidionem, cepit. Cùmque Cęſar, omnibus bellis civilibus confectis, Conſul IV. factus eſſet, & Dictaturæ honore contentus, Conſulatum depoſuiſſet; ſibi in tres ultimos anni menſes C. Trebonium cum Q. Fabio Maximo ſuffecit, novo prorſus exemplo. Hinc enim ſuffecti ſive honorarii Conſules, tum primùm creari cœpti ſunt anno U.C. DCCVIII. Nihilominus conjurationis Brutianæ particeps fuit, ipſique negotium datum eſt, ut M. Antonium quæſitâ colloquii occaſione detineret, ne cum Cęſare curiam ingrederetur, illique ſuppetias ferret. Tandem cùm Aſiam decreto Senatus obtineret, Smyrnæ à Dolabella interceptus, biduo ſervilem in modum laceratus, ut pecunias publicas exhiberet, capite truncatus eſt; & cor-

N

pus omni ludibrio habitum, in mare projectum eſt. Ita primus percuſſorum Cæſaris interiit.

L. STATIUS MURCUS.

De L. STATIO MURCO, qui bello Pompeiano Cęſaris Legatus fuit, & ipſo cæſo à partibus Caſſii ſtetit, plura optimè, ut ſolet, Fulv. Urſinus in gente Statia. Sed quia dubitat de nomine *Imperatoris*, quod Murco tribuitur in epiſtola Caſſii ad Ciceronem, & in nummo argenteo, quem exhibet ipſe Urſinus; non abs re fortè videbitur, ſi illum meritò adeptum fuiſſe nomen Imperatorium demonſtremus. Ac primò certum eſt, Dolabellam cum claſſe Ægyptia, quæ duce Serapione, ut ei ſuppetias ferret, à Cleopatra miſſa fuerat, à Murco claſſis Caſſianæ Pręfecto fractum, fugatum, & Laodiceam compulſum, omnique commeatu intercluſo, ad mortem adactum à Caſſio, urbe captâ. Duas poſtea retulit inſignes victorias, etiam navales; unam ex Rhodiis, ad Rhodum ipſam à Caſſio obſeſſam; alteram ex Domitio Calvino, qui claſſi Cęſarianæ præerat, & Brunduſio ſolverat, ut ad Cæſarem & Antonium, adversùs Brutum & Caſſium in Macedonia militantes, ſupplementum deduceret. Cùm videlicet Murcus ipſe & Domitius Ahenobarbus, qui ad Corcyram in ſtatione erant, ut mari portubuſque hoſtes ſuos prohiberent, junctis viribus claſſem Cæſarianam partim

depreſſerunt, partim incenderunt. In his prœliis ars militaris & virtus Murci maximè commendatur; ut nil mirum, ſi tot victoriis auctus, à militibus *Imperator* fuerit ſalutatus more antiquo, & hoc nomine gaudeat in veteribus monumentis. Quod ad nummum noſtrum pertinet, cuſus videtur in Aſia, à duobus commilitonibus Trebonio & Statio, qui ambo Legati Bruti & Caſſii, libertati & Reipublicæ favebant: præſertim à Trebonio, cui Aſia provincia fuerat ab ipſo Cęſare decreta, & poſt ejus cædem à Senatu confirmata.

PArvulum æreum, ſed raritate & opere inſignem, hîc apponemus, cum capite juvenili, & inſcript. ΦΑΒΙΟΣ ΜΑΞΙΜΟΣ. In averſa legitur, ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΤΡΥΦΩΝ. X. FABIUS MAXIMUS.




Quamvis immenſa me teneret cupido, ſincerum veteris illius Herois Fabii Maximi vultum in nummis reperire, ob prętantem viri famam & virtutem, qui cunctando, & Hannibalis impetus eludendo, rem Romanam reſtituit. Veritatis tamen amor, quominus illum in hoc nummulo

cęlatum credam, prohibet: ſiquidem vultum illum ad Auguſtum Cæſarem pertinere potiùs cenſeo, & ipſius honori cuſum ab aliquo è Fabia gente, Auguſto ipſi coævo. Quin & ex inſcriptione poſtica, Aſiæ Proconſulem, aut Syriæ Prę ſidem licet conjicere. Hierapolis enim, cujus mentio in nummo, in Phrygia & Phœnicia reperitur, quarum prior Aſiæ civitas, altera Syriæ. Sed quia duos Fabios imperante Auguſto, eodem ferè tempore, in Faſtis legimus, nempe *Paulum Fabium Q. F. Maximum* anno U.C. DCCXLII. & *Q. Fabium Q. F. Maximum* anno ſequenti, utrius ſit hic nummus, non tantæ ſum ego temeritatis ut diſceptandum aggrediar, donec plura de eorum actis & muneribus me veterum ſcripta & monumenta docuerint.


XI. Suillius.

MEmorabimus etiam P. ſeu M. SUILLIUM, Quæſtorem quondam Germanici Cæſaris; ac deinde, cùm convictus eſſet acceptæ ob rem judicandam pecuniæ, in inſulam imperante Tiberio deportatum, ut ex Tacito diſcimus. *lib. 4. Annal.* Ejus duplex nummus apud me reperitur; uterque Gręcus, ęreus, & ſecundæ magnitudinis. Primus habet ab una parte caput Bacchi, ſeu Liberæ, cum inſcriptione, Μ. ΣΥΙΛΛΙ . . . ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. In altera templum, cum inſcriptione mutila, &

lectu difficillima, EINH ΣEB. fortè AΓPIΠΠEI-NH ΣEBAΣTH, cujus ævo Suillius in aula Claudii.



Alter habet caput Claudii Imp. cum ſemeſa inſcript. ...OΣ KAIΣAP ΓEP. *Ti. Claudius Cæſar Germanicus:* & in averſa figuram muliebrem ſtantem, cum eadem inſcrpt. M. ΣYIΛΛIOΣ IEPAΠO..: *Hierapolitanorum.* XII. SUILLIUS ALTER.



Quamvis autem prænomen in ipſis legatur MARCUS, in codice verò Taciti PUBLIUS; unum tamen eundemque SUILLIUM eſſe autumo. Primò ex eo quòd nummi Hierapoli in Aſia cuſi ſint, cujus provinciæ Rector extitit, ut patet ex Taciti verbis: *Repertique accuſatores, direptos ſocios, cùm Suillius provinciam Aſiam regeret, ac publicæ pecuniæ peculatum detulere.* Secundò ex imagine Claudii Imp. in altero nummorum im- lib.13.Annal.

lib. 4. Annal. preſſa, apud quem *præpotens, ejuſque Principis amicitiâ diu proſperè, nunquam bene uſus*, dicitur ab eodem Tacito. Debetur igitur *Suillio* prænomen *Marcus*: atque etiam duplex *ll*, ut in nummo, & apud Carolum Sigonium, qui *Suillios* recenſet inter eos qui à pecore nomen ſumpſerunt. *lib. de Nomin. Rom.* Quod verò ad geſta *Suillii* pertinet, delatoris vicem ſępius cum maximo virorum illuſtrium detrimento ſuſtinuit. Ejus enim operâ Meſſalina Valerium Aſiaticum bis Conſulem, cujus hortis olim à Lucullo magnificentiſſimè excultis inhiabat, ſubvertit, & ad necem voluntariam compulit: totque aliis perniciem attulit, ut *continuus & ſævus accuſandis reis Suillius* dicatur à Tacito. *lib. 11. Annal.* Immò cum magna perfidia & prævaricatione, Advocationis munere functus, tandem Nerone ad Imperium evecto, multorum odia meritus, reus factus & damnatus eſt, incumbente præcipuè Senecâ, cum quo maximas ſimultates exercuit. Igitur ademptâ bonorum parte, in inſulas Baleares pulſus eſt: in ipſo tamen diſcrimine, & poſt damnationem ipſam, animo invictus.

XIII. EPRIUS MARCELLUS.

FAmiliis finem imponet nummus Græcus, æreus, ſecundæ magnitudinis, habens una in parte caput juvenile, cum decoro capillitio, & inſcript. ΘΕΟΝ CΥΝΚΛΗΤΟΝ, quæ adulatio-

nem Græcorum redolet, qui Senatui ipſi Romano divinos honores tribuebant: in altera figuram ſtantem, dextrâ pomum, ſiniſtrâ haſtam geſtantem, cum inſcriptione, ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ ΚΥ.



EPRIUS MARCELLUS, cujus nomine inſignitur nummus, multùm à Reipublicæ temporibus diſtat: ſed quia famoſus ævo Neronis & Veſpaſiani, ideo minimè prętereundus. Neque ullus dubitandi locus, quin noſter nummus ad ipſum pertineat: quippe alterum nacti ſumus, cum capite Titi, eodem typo, eâdemque prorſus inſcriptione in averſa. Ex quibus patet utrumque nummum, ejus eſſe Eprii Marcelli, qui ſub Nerone & ſucceſſoribus floruit. Fuit acri vir eloquentiâ, accuſator Thraſeæ Peti, quem *virtutem ipſam* vocat Tacitus. In eum magna vi invectus eſt Marcellus, annuente Nerone; & accuſationis præmium reportavit quinquagies ſeſtertiûm. Nerone mortuo, pluribus actionibus impetitus eſt in Senatu ab Helvidio Priſco Thraſeæ genero, qui ſoceri necem ulciſci, Eprii delatoris ruinâ

nitebatur: ac primùm quidem imperante Galbâ, cujus cùm eſſet dubia voluntas, & multi è Senatu deprecatores intercederent, omiſſa eſt actio. Sed repetita iterum pari exitu, imperante Veſpaſiano, cùm egregiè ſe tueretur Eprius: donec Domitianus Cęſar, patre ac Tito fratre abſentibus, frequenti Senatu abolendam præteritorum memoriam cenſuit, perorante etiam pro accuſatoribus Muciano. Unde Quintilianus in Dialogo de Oratoribus ait: *Quid aliud infeſtis Patribus nuper Eprius Marcellus quàm eloquentiam ſuam oppoſuit? qui accinctus & minax, diſertam quidem, ſed inexercitatam, & ejuſmodi certaminum rudem Helvidii ſapientiam eluſit.* Pro Conſule Cyprum inſulam rexiſſe, colligi poteſt ex notis ΑΝΘΥ. & ΚΥ. quæ ΑΝΘΥΠΑΤΩ & ΚΥΠΡΙΩΝ deſignant: & ex figura Veneris pomum geſtantis, quam Cyprii præ aliis venerabantur. Quamvis enim figura illa virilis appareat, militari habitu & veſtitu, ſiniſtrâ haſtam gerens: nihilominus Veneri tribuenda videtur, quæ ἐνόπλιος, hoc eſt, armata; colebatur à Lacedęmoniis aliiſque populis, & maſcula dicebatur, teſte Macrobio ſuper Virgilii verſu

Æneid. 2. *Deſcendo, ac ducente deo flammam inter & hoſtes Expedior.*

Sic & Luna mas & fœmina exiſtimabatur ab Ægyptiis,

gyptiis, & *Lunus* deus dictus miro cultu habebatur apud Carrhenos in Meſopotamia & in aliis Aſiæ locis: quod patet ex nummis antiquis, quorum plures apud me, qui *Lunum* repręſentant, vultu juvenili, cum aſtro falcato in humeris, & pileolo Phrygio in capite.

XIV. VALERIANUS.

MAximum ecce unum, &, ſive integritas, ſive cęlatura ſpectetur, omnino ſingularem; argumentoque noſtro, quamvis ad Romanas familias non pertineat, accommodatiſſimum.



Hunc ego acceptum fero illuſtriſſimo *Malebranchio*, in ſuprema Curia Senatori integerrimo, eruditione, comitate & morum elegantiâ commendatiſſimo. Habet iſte nummus in antica parte caput Valeriani Imperatoris, cum inſcriptione, ΑΥΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚΙΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ. In aversa Lunum ipſum ſtantem, eo quo præmonui

habitu, & inſcript. ΕΠ. ΣΤΡ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ Β. ΝΥΣΑΕΩΝ. Luni pedibus appoſitum eſt caput bovinum; ſivè quia Luna bicornis eſt, ut taurus; ſive quòd in tauro cœleſti excelſior Lunæ ſit aſcenſus, & virtus in hæc inferiora major.

CAPUT IV.

De Nummis Imperatorum.

I. M. ANTONIUS. OCTAVIA.

PERGIMUS ad Imperatorios nummos, inter quos primum ei locum dabimus, qui, ſi veræ ſunt noſtræ de eo conjecturæ, primæ notæ ab Antiquariis omnibus eſſe meritò cenſebitur. Æreus eſt, primæ magnitudinis, habens ab una parte tria capita, quorum duo juncta, ſunt virilia; tertium muliebre ipſis adverſum, cum inſcriptione detrita omnino: in averſa triremem cum triquetra nota Siciliæ, & inſcr. mutila, ... ITER. PRAEF. . . .



Huic exponendo pauca pręmittimus. Bello Peruſino ab Octaviano Cęſare confecto, & L. Antonio in Hiſpaniam amandato, Fulvia M. Antonii Triumviri uxor, cum liberis Athenas confugit; quò etiam Julia Antonii mater, quæ in Siciliam abierat, à Sexto Pompeio miſſa eſt, ut Antonii gratiam adversùs Cęſarem aucuparetur. Illuc & ipſe ex Aſia advolavit Antonius, & intellectis quæ in Italia magno ſuorum detrimento geſta fuerant, ac fœminarum querelis incenſus; accedentibus etiam L. Libone Pompei ſocero, & aliis qui honoris causâ Juliam comitati fuerant: Sexto reconciliatus, cum eo bellum Cęſari inferre ſtatuit. Igitur Athenis digreſſus, & cum ducentis navibus Brunduſium appulſus, cives ſibi adverſantes obſedit, dum Pompeius Italiæ littora & inſulas invadit: Cæſar verò Brunduſio tuendo P. Servilium Rullum mittit. Interim nunciatur Fulviam, quæ pręcipua belli fax, mortem obiiſſe. Quo accepto nuncio, utriuſque amici conveniunt; nec priùs ab ipſis ceſſatum, quàm Cæſar & Antonius, depoſitis armis & ſimultatibus, in gratiam redirent. Atque ut pax arctiori quodam affinitatis vinculo connecteretur, ſtatutum ut Octavia Cæſaris ſoror, Marcello marito nuper functo vidua, Antonio deſponderetur. In hujus fœderis, quod Brunduſinum dictum eſt,

memoriam cuſus videtur nummus noſter, & in antica parte tria capita, ANTONII, CÆSARIS & OCTAVIÆ, poſita exiſtimo. De duobus prioribus nullum dubium apud eos, qui antiquitatis Romanæ gnari, Antonii & Cæſaris junioris vultus norunt: Octaviæ, ſi unquam conjecturæ locus, tribuendum eſt caput tertium. Nam quod aliud caput muliebre cum duobus iſtis locum habere poſſet? Non equidem Cleopatræ, quam nondum pro uxore habebat Antonius. Nec illi cum Auguſto conveniebat, cujus caput in nummo. Sed à quo cuſus nummus, & quo tempore, non ita liquet. Nihilominus Sexti Pompeii auſpiciis cuſum, mihi perſuadet triquetra nota Siciliæ, quam inſulam tenebat Sextus: atque etiam inſcriptio, licèt mutila, quam ſic auſim reſarcire, IMPER. ITER. PRAEF. CLASS. ET ORAE MARIT. EX S. C. qualis legitur in nummis Pompeianis. De tempore item dubium. Primo intuitù ſuſpicatus ſum, cuſum eſſe nummum ipſo tempore fœderis Brunduſini: tunc enim ſumma erat inter Antonium & Pompeium concordia. Sed ex eo conjectura labat; quòd inter conditiones & pacta ejus fœderis conſtitutum fuit, ut Cæſar bellum contra Sextum ſuſciperet. Quo intellecto, Sextus relictâ Italiâ in Siciliam ſe recepit, ac maria & littora crebris populationibus infe-

ſtavit. Nummi ergo fabrica hoc fœdere aliquot menſibus poſterior eſſe poteſt: cùm videlicet Populus Romanus in ſumma annonæ caritate conſtitutus, intercluſis per Sextum commeatibus & frumentationibus conſuetis, Antonium & Cęſarem ad pacem cum eo ſanciendam coëgit, conſtituto ad Miſenum colloquio. Tunc temporis cudi potuit à Pompeio nummus iſte, in gratiam fœderis cum Antonio & Cęſare confecti. Annon etiam poſt annos duos ab ipſo Agrippa? qui devicto fugatoque Pompeio, non ſolùm præfecturam claſſis Cęſarianæ, amoto Calviſio, obtinuerat; ſed etiam belli Siculi peracti gloriâ illuſtris, inſulæ regimen obtinuit, & poſt Sextum, oræ maritimæ & claſſi Pręfectus fuit, ut patet ex nummo aureo ipſius, apud Goltzium in Faſtis. *pag. 193.* Quicquid ſit, maximo antiquitatis detrimento, periit nummi noſtri inſcriptio, tum adverſæ partis, tum averſæ. Similem tamen alterum Romæ nactus eſt Jo. *Vaillant* Bellovacenſis, Medicus peritiſſimus, & rerum antiquarum ſtudioſiſſimus, qui pro ſua benevolentia monitum me voluit, in ſuo nummo Oppii cujuſdam nomen inſcriptum eſſe, quod frequens in M. Antonii & Cleopatræ nummis exaratum eſt: ideoque vultum illum muliebrem Cleopatræ, & juvenile caput M. Antonio ſociatum eſſe Antonii junioris, in ſe-

quenti aureo nummo delineati, quinetiam Cæſarionis ſuſpicabatur. Sed hujuſmodi ſolutio facilis; ſiquidem inter illuſtres viros, quos ad Sext. Pompeium proſcriptionis tempore in Siciliam confugiſſe narrat Plutarchus in Auguſto, memorantur Oppii duo, pater & filius. At Sextus exules Romanos non tantùm benignè excipiebat, ſed etiam idoneos terreſtribus & navalibus ornabat præfecturis, ut ait Appianus. Quid ergo ſi Oppiorum alter munere aliquo aut prçfecturâ donatus à Sexto, quem mari prçcipuè bella geſſiſſe compertum eſt, nummum iſtum ſub ejus auſpiciis percuſſit? Quid ſi poſt cladem Pompeianam cum aliis Sexti amicis ad Antonium confugerit? Quippe Caſſius Parmenſis, Naſidius, & alii Pompeii comites, imò & ipſius ſocer Libo, cùm illum in Aſia pertinaciter, & ſpretis eorum conſiliis, adversùs potentiorem Antonium bellum apparantem cernerent, de rebus ipſius deſperantes, pacti mutuam inter ſe fidem, ad Antonium tranſierunt. Inter eos fuiſſe Oppium opinari pronum eſt, ac deinceps M. Antonio adhæſiſſe, ejus cudendis nummis operam dediſſe, in eiſque exaratum nomen ipſius, quemadmodum & antea in iſto Pompeiano. Quod attinet ad capita in nummo expreſſa, cùm illud Antonio conſociatum, juniorem Cæſarem tantùm referat,

Lib. 4. bell. civ.

quantùm à Cleopatræ ſpecie differt muliebre adverſum, & aliud nihil inſcriptio perſuadeat, primam conjecturam tueri fas mihi erit, donec certius aliquid & manifeſtius appareat, præſertim cum eruditiſſimi Spanhemii ſententia.

Urget amicus, ſignum illud, quod pro triquetra Siciliæ nota accipio, eſſe navis temonem, ac perinde nihil eſſe in nummo, quod ad Sext. Pompeium & Siciliam pertineat. Sed minùs conſulto. Ipſa enim nota, in qua tria crura Sicula Sole clariùs apparent, in meo, qui nunc Regis eſt, nummo ſeparatim ſub prora navis eſt conſtituta, cujus gubernaculum puppis lateri, ut ſolet & decet, adhærens conſpicitur. Igitur in Sicilia fabricatus eſt nummus, ſive à Sex. Pompeio, ſive à M. Agrippa, ut ſuprà conjectatus ſum. At verò cujus eorum juſſu cuſus ſit, neutrum ad filios Antonii aut Cleopatræ ſpectaſſe certum eſt. Sextus-ne Cæſarionem Divi Julii paterni inimici filium in nummo expreſſiſſet, aut Cleopatram ipſius Julii amaſiam, & Pompeianis partibus infenſiſſimam, etiam poſt cædem Julii? Agrippa verò eandem Cleopatram, & M. Antonii filium, Octaviani Cæſaris patroni ſui hoſtes, eo honore coluiſſet? dijudicent antiquitatis ſtudioſi.

II.
M. ANTONIUS, & ANTONIUS FIL.

ALterum M. Antonii nummum inſignem, & inter rariores reponendum, hîc minimè poſſum præterire. Aureus eſt didrachmus, habens ab una partè caput M. Antonii Triumviri, cum inſcript. ANTON. AVG. IMP. III. COS. DES. III. IIIVIR. R. P. C. ab altera caput juvenile Antonii filii ex Fulvia, cum inſcrip. M. ANTONIVS M. F. . . . fortè M. N.



Conſtat apud Hiſtoriæ Romanæ ſcriptores, Antonium Triumvirum duos ex Fulvia uxore ſuſcepiſſe liberos, quorum uterque Antonii nomen obtinuit: quamvis Plutarchus & alii Græci autores majorem natu, Antillum vocitent. Sed Antillus videtur eſſe nomen diminutivum Antonii, & à parentibus adblandientibus filio adhuc puello impoſitum, tanquam ætati tenellæ magis conſonum, ut Quintillus, Secundilla, Livilla, pro Quinto, Secunda, Livia. Marci prænomen parternum habuit natu major: junioris enim prænomen fuit Julius, vel potiùs Julus. Primus patre mortuo, à Theodoro præceptore militibus traditus dicitur apud Plutarchum, à quibus capite

Antonio.

pite

pite plexus. Suetonius verò in Auguſto paulò aliter his verbis: *Antonium juvenem, majorem de duobus Fulviâ genitis, ſimulacro D. Julii, ad quod poſt multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit.* Reapſe Antonius intempeſtivè, poſt Actiacam pugnam, Antonium ſuum ex Fulvia primogenitum, cum Cęſarione perdidit; dum eos poſitâ prætextâ togam virilem ſumere, Regeſque, & regni heredes ſalutari juſſit. Quod iiſdem haud multò pòſt exitio fuit. Cùm enim eſſent regni ſucceſſores deſignati, ab Auguſto interfecti ſunt, ne res novas molientibus anſam prębereat. cap. 17.

Nullum igitur dubium, quin caput illud juvenile ſit majoris natu filiorum Antonii, quod patet ex diſcrimine prænominum. Junior enim, uti dixi, ab Hiſtoricis Julius, vel Julus prænominatur, pręſertim à Dione, qui eum Prætorem anno U. C. DCCXLI. genethlia Auguſti equeſtri certamine & venatione celebraſſe narrat, atque etiam ex S. C. epulum Auguſto & Senatoribus in Capitolio dediſſe; ſed poſtea inter adulteros Juliæ connumeratum, quaſi hoc ſcelere ſibi viam ad Imperium pararet, viginti quinque poſt patrem annis occiſum, anno U. C. DCCXLVIII. cùm quadriennio antea Conſul fuiſſet. Huic Horatius Oden dicavit ſub pręnomine *Juli*:

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,

Jule, ceratis ope Dædaleâ
Nititur pennis, &c.

At frater ejus natu major ANTONIUS, MARCI prænomine gaudens, ille ipſe eſt qui in nummo noſtro deſignatur, & occiſo patre confeſtim periit, quanquam ei deſponſata fuiſſet Julia Cæſaris filia.

III. AUGUSTUS. AUGUSTI nummorum anteſignanus erit æreus unus, primæ magnitudinis, & maximis propior, habens ab una parte caput muliebre velatum, cum inſcript. INDVLGENTIAE AVG. MONETA IMPETRATA. In altera Imperator triumphat in quadrigis, manu gerens ſceptrum, cujus in apice aquila, cum inſcriptione, CAESARI AVG. COL. A. A. P.



Poſtremæ inſcriptionis notæ in quibuſdam Claudii, L. Veri, Commodi, & aliorum Principum nummis exaratę ſunt cum ultimo verbo PATR.

& vulgò explicantur COLONIA AVGVSTA PATRENSIS. Sed duæ iſtæ litteræ A. A. punctis interſtinctæ, mihi videntur innuere duo verba diſtincta, nempe AVGVSTA AROE, ſeu AROA. Siquidem urbs Patrenſis primum conditorem ſuum agnoſcit Eumelum, regionis illius indigenam, qui cùm frumenti ſerendi rationem accepiſſet à Triptolemo, urbem ſuam *Aroam* appellavit, à terræ cultu ſumpto nomine. Ἀρόαι ὀνόματι ἐπὶ τῇ ἐργασίᾳ τῆς γῆς, ut tradit Pauſanias in Achaïcis. Ejectis deinde Ionibus ab Achęis, *Patreus* aut *Patræus*, (apud me enim in argenteo tetradrachmo videtur ΠΑΤΡΑΟΥ, cum equite hoſtem proturbante) *Patreus* inquam, Preugenis filius, Agenoris nepos, Aroës pomœrio ampliato, illam de ſuo nomine *Patras* vocavit. At Auguſtus poſt Actiacam victoriam, cives Patrenſes bellorum injuriâ diſperſos, in urbem ſuam revocavit, quòd ejus portum navigationi opportunum exiſtimaret: illucque Rhyparum, Pherarum, Tritiæ, atque aliarum urbium vicinarum incolas traduxit, earum ditione Patrenſibus attributa: unde terno nomine dicta videtur, *Auguſta*, *Aroë*, *Patrenſis*, à tribus conditoribus, ſeu reſtauratoribus, Eumelo, Patreo, Auguſto. Hos etiam ſolos ex Achęis libertate ſua uti voluit Auguſtus, atque àlia in eos beneficia contulit, quibus deductas à ſe

P ij

colonias afficere ſolebant Romani. Prçſertim verò monetæ cudendæ privilegio donatam ab Auguſto licet aſſeverare, ex rariſſima & prçſtantiſſima inſcriptione, INDVLGENTIAE AVG. MONETA IMPETRATA: quam neſcio an aliquis noſtrorum Antiquariorum ſcriptis unquam tradiderit, aut alias viderit.

Cçterùm jus cudendæ monetæ çreæ Romanas colonias habuiſſe, colligi poteſt ex plurimis prçſertim Hiſpanicis nummis & Corinthiis, in quibus duplex D. D. explicatum hactenus, *Decreto Decurionum*, intelligi ſolet de licentia cudendi nummi. Quin & alius mediocris Tiberii nummus çreus meus, cum inſcriptione à parte capitis, TI. CAE. DIVI AVG. F. AVG. . . . COS. III. habet in averſa, PERMIS. P. DOLABELLAE PROCOS. C. P. . . cum figura ſedente. At peculiarem Auguſti permiſſionem apud me video in nummis duobus; quorum alter primæ magnitudinis, habet ab una parte caput ipſius radiatum, cum inſcript. PERM. DIVI AVG. COL. ROM. & in averſa caput Juliæ uxoris, cum magnifica illa inſcript. IVLIA AVG. GENITRIX ORBIS. Alter ſecundæ magnitudinis, habet caput Tiberii cum eadem epigraphe; & in averſa, duo capita, Germanici & Druſi Cçſarum. Horum numiſmatum icones, quia reperiuntur apud Ant.

Auguſtinum & alios, minimè hìc apponendas cenſui. Sed intelliguntur de cudendæ monetæ poteſtate ab Auguſto facta: mihique omnino videntur adverſari doctiſſimorum virorum ſententiæ, qui contendunt, nummos æreos nullos, niſi decreto Senatus, cuſos fuiſſe primis Imperii Romani ſæculis, antequam Senatus ipſius autoritas per inferioris ævi Tyrannos deminuta eſſet. In prædictis enim nulla S. C. mentio, ſed tantùm Imperatoris Auguſti. Advertant viri clariſſimi, quos impenſiùs colo, quâ ſe viâ hinc expediant, pro ſua prudentia, & rerum antiquarum experientia ſingulari.

SEquitur denarius argenteus, habens in antica caput Auguſti, cum inſcript. CAESAR DIVI F. in averſa Cupido inſidet delphino inter ſtellas duas, cum litteris S. P. Q. R. IV. AUGUSTUS.



Similem ferè typum habet Urſinus in ſecundo nummo familiæ Cordiæ, ſi ſtellas excipias; ut in quarto Lucretiæ: & Cupidinis ſignum ad Juliæ

familiæ originem, à Venere è mari orta ductam, in Julii Cęſaris gratiam impreſſum à monetario conjicit. Rectè id quidem; ſed nummum noſtrum addita duplex ſtella illuſtriorem reddit: nec tantùm maternam Octaviani Cæſaris originem à Venere, ſed & paternam à Julio demonſtrare videtur. Ab una enim parte, ut opinor, viſitur ſidus Veneris; ab altera ſidus Julium, & inter utrumque, tanquam nobiliſſima domus & fortunæ ſuæ numina & munimina, junior Cæſar delphino inſidet, ſub imagine Cupidinis. Quot utriuſque Cęſaris nummis inſculptum ſit Julium ſidus, vix enumeres. De ſtella Veneris plura paſſim apud Philologos. Sed ſi *Auguſti* cognomen exaratum eſſet in nummo, aut aliud quidpiam, ex quo argumentari liceret, cuſum eum eſſe poſt occiſum Antonium, & receptum Orientem: geminas hinc inde ſtellas, *Phoſphorum* & *Heſperum* interpretarer, Orientalis & Occidentalis indices Imperii: ut in Anaſtaſi Childericiana, ſuper aureo Leonis Imperatoris nummo, duplici ſidere inſignito, me docet Jo. Jac. Chiffletius, & ipſe politæ omnis literaturæ ſidus.

V. AUGUSTUS. JAm duplicem æreum dabimus nummum, utrumque primæ magnitudinis. Prior eſt Auguſti, habetque tria ſigna militaria, typo ſingu-

lari, cum inſcript. AVGVSTO DIVI F. LEG. IV. LEG. VI. LEG. X. In averſa colonus agit boves arantes: inſcriptio legitur non integra, ... T... FLAV. PRAEF. GERM. L. IVVENT. LVPERCO. II. VIR. C. C. A.



Antonius Auguſtinus, & ex eo Occo, in alio Auguſti nummo legunt, TIBERIO CLODIO FLAVO PRAEFECTO GERMANORVM, L. IVVENTIO LVPERCO, DVVMVIRIS. *Dial. 7.*

POſterior eſt Tiberii, habetque ſtatuam ipſius equeſtrem nudo capite, cum inſcriptione, TI. CAESAR DIVI AVGV. F. AVGVSTVS P. MAX. TR. POT. XXXIII. In averſa, tria ſigna militaria ordine conſueto, CATO. L. VETTIACVS II. VIR. & in ſuperiori parte nummi C. C. A. Deletum eſt prænomen Catonis, qui apud Ant. Auguſtinum *Marcus* dicitur in altero Tiberii nummo, ſed non ejuſdem typi. VI. TIBERIUS.



Poſtremum hunc nummum pluris æſtimo, non ſolùm quòd ſubrarus mihi videatur, ſed quòd illum acceperim ab eruditiſſimo & humaniſſimo viro Nicolao Heinſſio, apud Suecos Oratore Fœderatarum Belgii Provinciarum; cujus olim urbanitatem expertus ſum Hagæ Comitum, cùm illius muſeum omni antiquitatum genere refertiſſimum, datâ operâ inviſi, & facundo ejus alloquio frui mihi conceſſum eſt.

Primus cuſus videtur tribus legionibus IV. VI. & X. Cęſarauguſtæ hyberna agentibus: quæ ſigna militaria manipulorum, more veteri expreſſa, hîc inſculpſerunt. Verùm ut lux interpretationi noſtræ major affulgeat, delibanda hîc à nobis de ſignis militaribus pauca quædam, ad utriuſque nummi intelligentiam planè neceſſaria. Legionis totius ſignum aquila fuit, unius una, vel aurea, vel argentea, ſummæ haſtæ inſiſtens, expanſis alis, fulmen ſæpe, ut in Tiberiano nummo cernis,

nis, unguibus tenens: nec magnæ illa molis, cùm in ſigniferi baltheo, clade Variana, unam delituiſſe Florus teſtetur. Manipulorum autem ſigna primis Reip. temporibus fuerunt, impoſiti perticis fœnei ſtramineive manipuli.

Unde maniplaris nomina miles habet. Ovid. Faſt. 3.

Tales fortè in Auguſtæo nùmmo aſpicis duos. Poſteriori ævo non fœnum impoſuere perticis, ſed aut velum tranſverſo è ligno pendens, quale inter manipulos medium intueris, mixto ſimul recentiore ritu cum vetuſto; aut manum, ut in ſecundo nummo, fortè ut manus ad manipuli vocem alluderet. Quid autem orbiculi totam haſtam tegentes? Clypeoli ſunt, in quibus aureæ vel argenteæ imagines, Deorum primùm, deinde etiam Imperatorum. Hinc Tacitus: *Vexillarius direptam Galbæ imaginem ſolo adflixit.* Herodianus etiam agens de Maximino: *Poſtquam de ſignis militaribus, illius imagines detraxerunt, prodeuntem mox tentorio cum filio, ut ad eos loqueretur, continuò obtruncant.* Nec tantùm Imperatorum, ſed & virorum principùm. Apud eundem Tacitum Druſi imago inter ſigna. *Tua, Dive Auguſte, cœlo recepta mens; tua, pater Druſe, imago.* Immo ipſius Sejani per adulationem apud Suetonium in Tiberio: *Munera Syriacis legionibus dedit, quòd ſola nullam Sejani imaginem inter ſigna*

lib. 1. Hiſt.
lib. 8.
lib. 1. Annal.
cap. 48.

coluiſſent. Sed & nomina Imperatorum in vexillis inſcribebantur. Suetonius in Veſpaſiano : *Aſſenſere cuncti, nomenque ejus vexillis omnibus ſine mora inſcripſerunt.* Ubi obiter obſervandum, nomen *vexilli* indiſcriminatim pro quolibet ſignorum genere accipi. Quamvis vexilla propriè ſint equitum, quæ vela quædam erant quadra, expanſa ad haſtam, ſed vela modica: quale fortè eſt illud in nummo noſtro Auguſtæo inter duos manipulos, & qualia ſunt apud nos in equeſtribus turmis. Quid ergo ſi hîc equeſtre ſignum unum, inter pedeſtria duo, medium dicamus eſſe; quæ ſigna, legiones peditibus equitibuſque, ſed paucioribus equitibus conflatas, repræſentent? In noſtro etiam Tiberii nummo videntur quaſi folia hederacea pendula. An folia & flores, quibus decorabantur ſigna in rebus lætis, aut venerationis causâ? Certè apud Claudianum,

cap. 6.

Mavortia ſigna rubeſcunt
Floribus, & ſubitis armantur frondibus haſtæ.

An verò propria cohortium ſigna fuerint, an ſigna in iis nulla, niſi manipulorum ex quibus erant conflatæ, diſceptent eruditi. Ego quidem nulla niſi manipulorum fuiſſe puto. Verumtamen cùm per ſigna cohortes diſcerni Tacitus dixerit; veriſimile eſt, ſigna ordinum cujuſque cohortis, ab aliis aliarum cohortium diſtincta notis quibuſdam

lib. 1. Annal.

fuiſſe. Certè apud Ful. Urſinum in nummo unico familiæ Neriæ, & in quarto familiæ Valeriæ, viſuntur ſigna militaria cum H. P. Quæ dicta ego velim de Reip. tempore, deque Imperii ætate ſuperiori. Nam inferiori ejuſdem ævo, cùm novi ſe quotidie mores obtruderent, mutatâ Reipub. militiæque facie, ſuos ſingulis cohortibus dracones fuiſſe teſtatur Vegetius. Haſtæ porro, quibus impoſita ſigna, inferiori parte, quod ex nummis patet, acutæ erant, ut in terram defigerentur, ſive in caſtris, ſive in acie, cùm ſtaret. Quod iis commune cum haſtis militum cęteris erat, de quibus Virgilius, *Stant terra defixa haſta.* *Æneid. 6.*

VII. TIBERIUS.

ACcedit argenteus drachmalis, integerrimus, & cęlaturæ perquam elegantis, in quo viſitur caput Auguſti radiatâ coronâ inſigne, Gręcâ inſcriptione, ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΤΩ ΚΡΗΤΕΣ ΕΚΟΡΑΥ. altera in parte caput Tiberii laureatum, ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΓΟΡΤΥΝΙΩ. ſive ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ.



In alio ferè ſimili nummo, ſed à vetuſtatis injuriis non æquè defenſo, à parte capitis Auguſti legitur, ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ Κ. ΓΗΓΩΝ ΕΚΟΡΑΥ. Sole clariùs apparet, utrumque nummum in Creta fuiſſe cuſum: & priorem quidem Gortynæ, quæ hujus inſulæ urbs præclara. In poſteriore verò nihil aliud deſignatur nota Κ, quàm ΚΡΗΤΗ, cum inſolito epitheto ΓΗΓΩΝ, quod poſt accuratam diſquiſitionem, dividendum mihi videtur in voces duas γῆ γῶν, *terra terrarum*. Magna ſiquidem Cretæ dignitas, quæ omnibus Mediterranei maris inſulis, ſi Siciliam exceperis, antecellit, ſive propter Jovis incunabula, ſive propter centum urbes quibus habitabatur, unde Hecatompolis dicta; ſive etiam propter fertilitatem. Quas Cretæ laudes luculenter Virgilius expreſſit:

Æneid. 3. *Creta Jovis magni medio jacet inſula ponto,*
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula noſtræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

Polit. l. 2. c. 8. Sed maximè commendatur ab Ariſtotele, qui eam ad principatum Grçciæ totius ait eſſe natam, & ſitam; quippe quæ omnibus Ægęi maris inſulis imminet, & tum Aſiæ, tum Europæ continenti vicina eſt. Immo addere poſſumus, maximè idoneam eſſe, quæ omnibus Mediterranei maris inſulis & littoribus dominetur. Unde Dio-

dorus ait, propter hunc inſulæ ſitum ad expeditiones in totum orbem adeò opportunum, Herculem Hiſpanias invaſurum, milites in Creta convenire juſſiſſe. Quo fit, ut minùs mirer, vocatam olim in nummis fuiſſe *terram terrarum:* & noſtris etiam temporibus, ab immani Turcarum tyranno viginti quinque ſolidos annos, tot exercitibus, immo totis Orientis viribus oppugnatam, magno ſanè Reip. Chriſtianæ detrimento. Gortynam verò, cujus mentio fit in nummo, quæque jus civitatis ſuæ Tiberio tribuiſſe videtur cum cognomine ΓΟΡΤΥΝΙΩ, certum eſt inter præcipuas Cretenſes urbes numeratam fuiſſe; & cum Phæſtiis ſibi vicinis continua geſſiſſe bella, uſque ad everſionem urbis ipſius Phæſti. Refert Plinius, juxta Gortynam, platanum quandam ſemper virentem fuiſſe, Jovis & Europæ thalamo famoſam. Cujus rei teſtem exhibet nummum Gortyniorum Ant. Auguſtinus, in quo cælata eſt puella ramis arboris inſidens. Notas illas ΕΚΟΡΑΥ in nummo exaratas, uſque adhuc non intelleximus.

lib. 4 p. 157.

Dial. 3.

SEd quia de Cretenſium nummis agimus, prętermittendum non puto, argenteum drachmalem exquiſitiſſimum, Trajani capite percuſſum, cum Latina inſcript. IMP. CAES. NERVAE TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC.

PART. In averſa fœminam habet rupibus ſeu montibus inſidentem, dextrâ telum, ſiniſtrâ infantulum geſtantem, inter figuras duas armatas, cum Gręco verbo, ΔΙΚΤΥΝΝΑ ΚΡΥΤ.



Deſcriptus fuit hic nummus, antequam meus eſſet, ab erudito Triſtano, qui de duplici & bilingui inſcriptione, de Diana ſeu Dictynna Cretenſi, & reliquis ad nummum pertinentibus, plura exquiſitæ doctrinæ arcana, pro more ſuo, nos edocet. Sed quia poſtea meus factus eſt nummus, & hîc Cretam attigimus; mei juris eſſe cenſeo, paucula addere. Illæ ſiquidem figuræ armis inſignes, in mentem revocant enopliam ſive pyrrhicam ſaltationem, quam primùm inventam ferunt apud Cretenſes, ſive à Pyrrho quodam, ut
lib. 7. cap. 57. ait Plinius, ſive à Curetibus & Corybantibus.
Diodor. lib. 5. Etenim Rhea enitens, ut referunt Mythologi, & partus dolores diſſimulans propter Saturnum filios vorare ſolitum, Curetum opem admiſit, qui tympanorum tumultu, & armorum fragore, infantis vagitus occultantes, Saturnum eluſerunt, & Jovem puerulum in abdita montis Idæ loca abduxerunt. Hinc à Virgilio *Creta Jovis magni inſula* dicitur.

HUjus puerperii pulcherrimum habeo monumentum, quamvis ſine armata ſaltatione, in maximo Antonii Pii numiſmate inferiùs poſito; cujus averſa in parte, Fauſtinæ, ut opinor, partus inducitur, ſub ſpecie matris Idææ, cum tympaniſtis, Satyro & aliis. Nec mirum : ipſa enim Fauſtina in nummis ſuis Rheam habet expreſſam, cum inſcript. MATRIS MAGNAE, cui ſupparem ſe pręſtare voluiſſe viſa eſt. IX. ANTONINUS PIUS.



VErùm ut conſtitutum ordinem repetamus, prodeat numiſma Gręcum æreum, minimi quidem moduli, ſed eximiæ raritatis, exhibens ab una parte juvenile caput muliebre, iiſdem capillorum ornamentis quàm Agrippinæ ſenioris ęvo, inſignitum, cum inſcript. ΙΟΥΛΙΑΝ. ΝΕΑΝ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ. & in area nummi ΜΥΤΙ. id eſt Μυτιληναίων. In averſa viſitur figura Caii Cęſaris ſtans velata, ſacrificantis ritu, ut Pontificis ma- X. JULIA GERMANICI FIL.

ximi, dextrâ pateram, cum epigraphe, Γ. ΚΑΙ-CAPA CEBACTON, & pariter in area nummi. MYTI. id eſt Μυτιληναίων.



Hactenus Juliæ junioris, Germanici & Agrippinæ ſenioris filiæ caput in nummariæ ſupellectilis ſtudioſorum cimeliis inſpectum non audivimus: id autem in Juliæ honorem, & in ejus partus memoriam numiſma à Mytilenęis percuſſum eſt, dum Agrippina mater cum Germanico conjuge in Syriam proficiſcens, Leſbum inſulam appulit, ubi Juliam è liberis ultimam enixa dicitur. Ipſa junior, ad diſtinctionem Juliæ ejus materteræ, ſororis Agrippinæ matris, L. Æmilio Paullo, viro conſulari, ejus conſenſu nupta, tandem amore Imperatoris in odium verſo, in inſulam Pontiam ab ipſo relegata uſque ad Caii mortem remanſit, donec Claudius ejus patruus, ad Imperium evectus, Agrippinam ſororem, & ipſam reduxit, ac bona iis reſtituit. Sed Meſſalina Claudii uxor, indignè ferens, ſe à Julia non honorari, non adulari, formæque ejus ęmula, & quod

Tacit. lib. 2.

Dio. lib. 60.

quòd ſæpius cum Claudio ageret, extorrem egit, paratis cum aliis, tum adulterii criminibus, nec multò pòſt illam veneno necavit, ut & paucis abhinc annis maritum ejus M. Vinicium, quem ob conjugis cædem ſuſpectum habebat; & inſuper indignata, quòd ipſe coïtum ſuum recuſaſſet, pariter veneno occidit. Sic maritus & uxor eâdem ſorte malis Meſſalinæ artibus, nullis è matrimonio relictis liberis, perierunt.

HUic infelicis Juliæ nummo, aliud ſuccedat infelicis pariter, cognati ſcilicet Britannici numiſma, Græcum etiam, æreum, primæ magnitudinis, & raritatis, habens caput juvenile, ſine corona, cum inſcript. ΚΛΑΥΔΙΟC ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟC ΚΑΙCΑΡ. In averſa viſitur figura nuda, ſtans, dextrâ pateram vel quid ſimile præferens; cujus ad pedes cervus, cum verbo, ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. XI. BRITANNICUS.



Infelicem Britannici ſortem, nemo fuit illi

coævus adeò expers miſericordiæ, qui non lugeret, excepto Nerone parricidâ. Sed & noſtris temporibus nullus eſt inter veteris hiſtoriæ ſtudioſos, cui miſerabilis ejus fortuna dolorem non commoveat. Præclara indoles, adoleſcentia innocens, jus hereditarium ad Imperium, quo novercæ Agrippinæ artibus depulſus eſt; mors immerita, præceps, violenta, cùm decimum quintum ætatis annum vix attigiſſet, tandem pro virili toga, acceptâ ſandapilâ: hæc omnia ingenuis animis miſeranda videntur. Sed quod Antiquarios noſtros premit, vix ullum habent ipſius monumentum; adeò pauca in manus noſtras venere Cæſaris hujus numiſmata. Rariſſimum certè minutum æreum Patavii vidimus, apud illuſtriſſimum Comitem Jo. à Lazara, cum capite Neronis ab una parte, & capite ac nomine Britannici in altera. Unicum jactat Occo ſe vidiſſe. Nos alterum, quem damus, ſolum offendimus, inter tot myriades, quas contrectavimus; in tot muſeis, quæ ſcrutati ſumus. Hæc duo poſtrema Triſtanus pro ſua eruditione, & incomparabili monumentorum Græcorum peritia deſcripſit; quamvis neutrum ſe vidiſſe teſtetur. Sed quia, ut ipſe nobis indicat, hujus noſtri poſterioris ſolum præ manibus habuit ectypon, cui cum prototypo noſtro non omni ex parte convenit: nihil detractu-

rum me tanti viri meritis & famæ cenſui, ſi mei nummi & conjecturæ copiam ſtudioſis facerem; cùm per ipſum non ſteterit, quin ectypon illud, quod acceperat, fidelioris & accuratioris eſſet notæ. Meus equidem nummus nil differt à Triſtani deſcriptione, à parte capitis Britannici. Sed quem in averſa depinxit equum, in meo cervus eſt indubitanter, aut dama, ſuis inſignis cornibus, qualia juniorum hujuſmodi ferarum eſſe ſolent. Quæ me res adducit ut credam, figuram illam ſtantem & nudam, eſſe Solis, qui in ipſa Caria, cujus Alabanda civitas eſt, ut in reliquis Orientis provinciis, tanquam præcipuum numen colebatur. Etenim cervum Soli attributum, ut ipſius curſum volocitate ſua deſignaret, memini me videre in nummis. Binos Græcos teſtes adducam.

PRiorem æreum, primæ magnitudinis, Trajani nomine & capite, cum inſcriptione vulgari. Hic in averſa exhibet figuram Oſiridis, XII. TRAJANUS.



quem unum eundemque cum Sole exiſtimatum, ſciunt omnes Ægyptiæ mythologiæ periti. Non immemor in verbo ΚΟΠΤΗΤΩΝ. & notis L. ΙΓ. ΞΙ. nec in deſcriptione Præfecturæ Coptiticæ in Ægypto, apud quam percuſſum eſt numiſma; unum in prȩſenti ſufficiat: Oſirim noſtrum ſiniſtrâ cervum geſtare, tanquam ſymbolum Solis, & rapidiſſimi curſus ipſius.

XIII. BALBINUS. SEcundus nummus, item æreus, eſt Balbini Imper. ſed mediocris magnitudinis, ideoque perrarus, cum inſcript. ΑΥΤ. Κ. ΚΑΙΛΙ. ΒΑΛΒΕΙΝΟϹ. Habet in averſa templum, in quo ante aram ſtat figura Solis, capite radiato, dextrâ itidem cervum ferens, cum inſcr. ΜΙΛΗϹΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.



Refert Pauſanias in Arcadicis, fuiſſe apud Mileſios nobiliſſimum Apollinis ſimulacrum, quod Xerxes ſuſtulerat, illos criminatus, bello quod Græcis intulerat, propenſiores Athenienſibus fuiſſe; iiſque à Seleuco multis poſt annis redditum. Fuit

etiam celeberrimum olim oraculum Apollinis Didymęi; qui, quòd Mileti ejus templum eſſet, Mileſius quoque dictus eſt. Sanè idem videtur eſſe fanum illud, quod repręſentat nummus. Atenim pro foribus ipſius videre eſt ſtatuam illam famoſam Apollinis, dextrâ cervum præferentem. Iſtorum auctoritate nummorum impulſus ſum ut facilè credam, in averſa nummi Britannici, figuram illam nudam & ſtantem, eſſe Solis, propter cervum illi vicinum; quamvis radiis ſolaribus non ſit redimitum caput Apollinis: ſine ipſis enim ſæpius effingitur, præſertim in ſtatuis; & nummus noſter vetuſtate ſua illos potuit habere ita detritos, ut non appareant. Quicquid ſit, fruatur lector hiſce nummis non contemnendis: & ſi quam habeât ſuper iis meliorem conjecturam, ejus copiam facere ne gravetur.

ŒDipo mihi conjectore opus eſt, qui argenteum Galbæ denarium explicet. Habet in antica caput iſtius Imperatoris, cum epigraphe, GALBA IMPERATOR. In poſtica caput fœmineum cum notis, REST. NVM. XIV. GALBA.



De his verbulis multi multa. Quidam, *reſtituto nummo*; alii, *reſtituta Numidia*. Ego addo, & audeo, *reſtituto numine*. Quod priuſquam poſſim ſtatuere, expendendæ mihi ſunt aliorum opiniones.

Ac primò de *reſtitutione nummi*, hoc eſt rei monetariæ, *per Galbam*, aſſentiri non poſſum. Cùm enim Imperium vix ſeptimeſtre deguſtaverit, & à multis æmulis impetitus fuerit; rebus ſuis firmandis vacavit potiùs, quàm condendis de re nummaria legibus: prçſertim cùm ea nihil admodum detrimenti ſub ejus deceſſoribus cepiſſet, ut patet ex legitima ratione, ſinceritate & pondere nummorum iſtius & ſuperioris ævi. Neque verò ullum hujuſmodi reſtitutionis à Galba factæ veſtigium, in omnibus antiquæ hiſtoriæ monumentis, opinor, repereris. Adde ſuſpectum eſſe vel nomen ipſum *nummi*, quod nuſquam mihi lectum in nummis ipſis: ſed ſicubi reſtitutionis iſtius eſt facta mentio, *monetam* uſurpari.

Certè in prçclaro Auguſti numiſmate à Patrenſibus cuſo, ſuperiùs exhibito, legitur, *Indulgentia Aug. moneta impetrata*: pro gratiarum actione, & memoria licentiæ cudendi nummi. Sic etiam in Alexandri Severi nummis legitur, *reſtitutor moneta*, & *moneta reſtituta*; nil prorſus de *nummo*.

Probabiliùs itaque loqui videntur, qui de *reſtituta Numidia* nummum explicant. Scio in rebus geſtis Galbæ vix ullam apud autores, hujus nominatim provinciæ fieri mentionem: ſed meminiſſe oportet, illum non ſolùm præfuiſſe Aquitaniæ & Germaniæ, verùm etiam Africæ, ac demum Luſitaniæ: Africæ, inquam, non tertiæ parti orbis terrarum; ſed minori, quæ majoris iſtius provincia eſt, in qua ſita Numidia. Romani enim, teſte Appiano, Africæ hujus propriæ, *lib.4.bell.civ.* alteram partem vocant veterem, ademptam ſcilicet Carthaginienſibus: alteram, quæ priùs Jubæ regnum fuerat, à C. Cęſare poſtea occupatam, novam appellant, quæ eſt Numidia. Cùm igitur ea comprehendatur ſub Africa propria, cui pręfuit Galba, potuit ita bene meritus eſſe de Numidia, ut reſtitutor ejus ſit appellatus; pręſertim ſi attendamus quæ refert Suetonius. *Africam pro Conſule biennio obtinuit, extra ſortem electus, ad ordinandam provinciam, & inteſtina diſſenſione, & barbarorum tumultu inquietam: ordinavitque magnâ ſeveritatis ac juſtitiæ curâ, etiam in parvulis rebus.* *lib.7.cap.7.* Hæc, inquam, non omnino improbabilia viderentur, niſi ſupereſſet ſcrupulus duplex. Primùm enim *Numidiæ* nomen nuſquam in nummis legitur, ut Africę, Libyę, Mauritanię. Deinde figura illa muliebris, Deę potiùs ali-

cujus, quàm provincię, ſpeciem prę ſe fert: ubi enim aut corona turrita? aut aliud inſigne proprium ac peculiare, cujuſmodi eſt Africę leo, elephas Libyę, equus Mauritanię.

Faciunt iſta, ut meę de *reſtituto numine* conjecturę firmiùs adhęreſcam; & *Fortunæ* ipſi dicatum aſſeram nummum, ejuſdem Tranquilli autoritate fultus, qui ait: *Galbam ſumptâ virili togâ, ſomniaſſe Fortunam dicentem, ſtare ſe antę fores defeſſam, & niſi ocyùs reciperetur, cuicumque obvio prædæ futuram. Utque evigilavit, aperto atrio, ſimulacrum æneum Deæ, cubitali majus, juxta limen inveniſſe, idque gremio ſuo Tuſculum, ubi æſtivare conſueverat, avexiſſe; & in parte ædium conſecratum, menſtruis deinceps ſupplicationibus & pervigilio anniverſario coluiſſe.* Ex his videre eſt *numen reſtitutum*, quod malè habitum fuerat. Itaque ſive *numen reſtitutum*, ſive *reſtitutam Numidiam* malis, utrinque Suetonius adeſt. Eligant eruditi, utri faveant ſententiæ: neque enim ita meæ ſum tenax, ut in alteram, ſi annuerint, abire non ſim paratus.

(Lib. 7. cap. 4.)

XV. OTHO.

JAm vereor ne reclamet omnis eruditorum cœtus, & me convicio explodat, qui Othonem æreum vendicem, ingens ad hanc diem Antiquariorum offendiculum. Nuſquam vidimus, exclamant

mant ferè univerſi. Quid tum? Nonne quotidie eruuntur è terræ viſceribus, & veterum monumentorum ruinis, numiſmata & toreumata nulli antè conſpecta? In eo enim admirandum eſt antiquitatis ſtudium, quòd nullis limitibus circumſcriptum ſit, ſed nova in dies & nondum agnita ſuppeditet. Habet iſte ſecundæ magnitudinis nummus in antica parte caput Othonis, radiatâ coronâ inſigne, quales plurimi Neroniani conſpiciuntur, & cum inſcript. ΟΘΩΝ ΚΑΙϹΑΡ. vultus, ab oris Othoniani auro argentoque expreſſi lineamentis, non multùm abeſt. In averſa parte viſitur figura nuda, dimidiato corpore, cum verbo ΜΑΡΩΝΕΙΤΩΝ.



De figura iſta, conjectura difficilis; eſt enim vetuſtate corroſa, & hîc pro libito cælatoris expreſſa. An Bacchi dicemus eſſe, an Liberæ, Maronæorum numinum? an Maronis, expeditionum Bacchi comitis? Maroneam verò in Thracio littore ſitam ſi conſideres, immenſo mari ab Italia diſcretam, & à Germania Vitellii fautrice lon-

giùs etiam diſſitam, ab Othonis partibus eam
lib. 1. Hiſt. ſtetiſſe colliges, ex Corp. Taciti verbis: *Longinquæ provinciæ, & quidquid armorum mari dirimitur, penes Othonem manebant: non partium ſtudio, ſed erat grande momentum in nomine Urbis, ac prætextu Senatus.* Quòd ſi prætextu Senatus, Imperium ſibi longinquis in provinciis Otho ſtabilivit, quidni Othonis vultu ac nomine cuſi ſunt in iis æreì nummi, prętextu Senatus, penes quem cudendæ monetæ æreæ poteſtatem omnem fuiſſe, arbitrati ſunt viri docti.

Sed Otho ille tuus, inſtabat amicus, ſolo Cęſaris nomine inſignitur; cùm tamen uno eodemque puncto temporis Imperator, Cæſar, Auguſtus, ſit renuntiatus. Hinc, ut verum fatear, injectus mihi ſcrupulus eſt; ſed is tamen, qui facilè poſſit evelli. Nempe potuit à Græco monetario, Cęſaris nomen pro Imperatoris nomine uſurpari. Quidni enim, cùm familiaris receptaque vulgò
Matth. c. 22. ſit utriuſque vocis ſynonymia? Et in Evangelio ipſo numiſma cenſus, percuſſum vultu & nomine Tiberii, qui jampridem Imperator erat, dicitur eſſe Cæſaris tantùm. Deinde plures Imperatores video in nummis Gręcis, immo & Latinis quibuſdam, cum ſolo Cęſaris nomine, diademate aut coronâ, quæ Imperii nota eſt, redimitos. Teſtem advoco inferiùs poſitum in Græco num-

mo, Antoninum Pium laureatum, adepto Imperio, cum ſolo *Cæſaris* nomine. Teſtem etiam, rariſſimum Neronis nummum parvulum plumbeum, aut, ut aliis placet, ſtanneum, nuper mei juris factum, cujus memini in Epiſtola de Nummo Britannico ad Trichetum; qui à parte capitis laureati & imperatorii, inſcribitur NERO CAESAR. cum his notis in averſa, PAVLLIN. ad Suetoniam familiam pertinentibus. Alius Neronis nummus argenteus, capite item laureato, habet, NERO CAESAR. in averſa aquilam leg. inter duo ſigna cohortium. Sed & in Muſeo Regio repoſui Græcum Nervæ nummum ſecundæ magnitudinis, cum his ſolis verbis, ΝΕΡΟΥΑΣ ΚΑΙΣΑΡ. in cujus averſa ſtant Dioſcuri.

Tandem de galericulo & coma, quæ in omnibus aureis & argenteis Othonis nummis ſubdititia conſpicitur, in hoc æreo minimè, negotium nobis faceſſitur. Sed iſti Romæ, & in Italia, vel vicinis provinciis percuſſi ſunt, ubi viſus & notus Otho. At de illius capillitii modulo, qui reſcire potuiſſent, præſertim cùm paucis menſibus imperaverit, tam longè diſſitæ gentes, Aſiaticæ aut Africanæ? Equidem nummos Othonis æreos, Ægyptiæ fabricæ, ſinceros Pariſiis videmus; quos ipſius non aſſererem, propter vultus diſſimilitudinem, niſi ejus nomen haberent pro indice &

vindice: quemadmodum videmus nummos Galbæ, Titi, Domitiani, in ipſa Ægypto cuſos, adeò inepti & inconcinni operis, ut Imperatores iſti, niſi eorum adeſſet nomen, agnoſci minimè poſſent.

XVI. OTHO iterum. EJuſmodi eſt æreus ille mediocris magnitudinis, Othonis alter nummus, quem ſecundo loco exhibemus, habetque in antica parte caput Othonis laureatum, cum ſemeſa inſcriptione, ... ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. In averſa videre eſt caput Iſidis cum notis L A.



Huic nummo Sereniſſimus Princeps Gaſto Dux Aurelianenſis, ὁ μακαρίτης, inter alios quoſdam Othonianos ſibi oblatos, convocatis innatâ ſuâ benignitate Pariſienſibus antiquitatis ſtudioſis, primam vetuſtatis & ſinceritatis laudem detulit. Alterum metallo, inſcriptione & capitibus ab utraque parte omnino ſimilem, ſed pondere & mole paulò leviorem, Patavii nactus ſum apud eruditiſſimum Octavium Ferrarium, primarium elo-

quentiæ & hiſtoriæ Profeſſorem in Academia Patavina, qui eum Regi Chriſtianiſſimo ſuo nomine offerendum mihi commiſit: munus ſtudioſo harum elegantiarum Rege non indignum, & ab eo ſummâ gratiſſimi animi teſtificatione acceptum. Quin & alium, ſed minùs integrum, eâdem in urbe vidi Othonem æreum antiquum Græcum, hiſce non diſſimilem, apud illuſtriſſimum Jo. Comitem à Lazara, cujus locupletiſſimi muſei ſuprà in Sauromatæ Regis nummo meminimus.

Sed & noviſſimè anno M. DC. LXX. vir clariſſimus Jo. Baptiſta Caponus, Bononienſis Medicus & Philoſophus inſignis, elegantem de Othonibus æreis libellum Chriſtianiſſimo Regi offerens, noſtris aſſertis fidem fecit, cum altero item Græco ejuſdem Imperatoris nummo. In hoc tamen Othoni meo minùs favet, quòd nominis ipſius duas primas literas Ο Θ detraxerit integrè; cùm tamen in prototypo pro majori parte reliquæ ſint, & ab ipſius vetuſtatis injuria vindicatæ: eo prorſus modo, quo à cælatore in hujus commentarioli ectypo expreſſas videre eſt. Ne quis autem ſibi perſuaderet, tres Othones iſtos ab una eademque manu eſſe, prohibet omnium ponderis, magnitudinis, typique diverſitas. Cæterùm caput illud Iſidis in averſa nummorum

iſtorum exaratum, ut & Canopi in altero minimo item Regio, Ægyptum deſignat Othoni ob-
Hiſt. lib. 1. noxiam, idque ſcundùm mentem Taciti. *Ægyptus,* inquit, *omneſque verſæ in Orientem provinciæ, nomine ejus tenebantur:* quæ verba ſuperiori noſtro Maronæo Othoni non adverſantur. Poteſt etiam ex hujus Deæ ſigno argui idem Otho, quem huic peregrino numini addictiſſimum ex Suetonio di-
lib. 7. cap. 12. ſcimus, ejuſque *ſacra ſæpe in lintea religioſaque veſte celebraſſe.*

XVII. OTHO arg.

Atque ut abſolvamus, quidquid ad Othones noſtros pertinet; argenteus ecce tetradrachmus, qui ex incomparabilis noſtri Peireſcii Gazophylacio, ad eruditi Triſtani muſeum tranſlatus, ac demum noſter factus eſt.



Viſitur in antica parte caput Othonis affabre cuſum, idemque laureatum, ſed cum aliquibus Neroniani vultus lineamentis, quæ mihi in mentem
lib. 7. cap. 7. revocant Suetonii verba: *Super cæteras gratulantium adulantiumque blanditias, ab infima plebe ſa-*

lutatus Nero: primiſque epiſtolis ſuis ad quoſdam provinciarum Præſides, NERONIS *cognomen adjecit.* Eadem ferè Tacitus : *Atque etiam Othoni quibuſdam diebus, populus & miles, tanquam nobilitatem ac decus adſtruerent*, NERONI OTHONI *acclamavit.* Inſcribitur hic nummus, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΘΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. In averſa oleæ ramo tranſverſo inſiſtit aquila alis expanſis, & roſtro coronam lauream tenet, cum Luna creſcente inter crura, & palmæ ramo ad alam dextram. Inferiùs exaratum eſt, ΕΤΟΥΣ Α. *anno primo.* *Hiſt. lib. 1.*

Typus ille partim ex ſe patet; eſt enim aquila inſigne Romani Imperii : partim ſenſu communis eſt cum aliis Othonis nummis aureis & argenteis, in quibus legitur *Pax orbis terrarum*, & *Securitas P. R.* quæ in noſtro olea deſignantur: *Victoria Othonis*, quæ hîc per palmam & coronam, & cum ſpe proxima felicioris adhuc ſucceſſus per creſcentem Lunam deſignatur. Suetonius tamen in Othone : *Tribus quidem, verùm mediocribus præliis vicit.* *lib. 7. cap. 9.*

Alios Othonis æreos nummos, etiam Latina dictione cum literis S. C. domi foriſque, ſed maximè apud illuſtriſſimum Harlæum in famoſo ejus Muſeo, conſpeximus, quos hîc referre inconſultis patronis æquum non duximus, ne lo-

cum iis præripiamus plura & potiora, quæ meditantur, diſſerendi. Sed neque apologias ſcribimus. Interim noſtri ſuperiùs exhibiti, ſubjecti ſunto ſeveriori eruditorum trutinæ, qui non ex vulgato rumore, ſed ex aſpectu ipſo dijudicent.

XVIII. VESPASIANUS. NUmmus argenteus Græcus, tetradrachmus, habet in antica caput Veſpaſiani, cum inſcriptione, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. In averſa ſtat figura Jovis, dextrâ pateram geſtantis, ſiniſtrâ ſcipionem, cum aquila manui ſuperpoſita, ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η̄. hoc eſt, *Anno novi templi octavo.*



Sebaſtianus Erizzus Venetus, inter Antiquarios ſuperioris ſeculi clariſſimus, inſcriptionem hujus numiſmatis refert ad Salomonis templum, à cujus ædificatione annum illum octavum computat in ſuo Veſpaſiano, his verbis: *Nell' ottavo anno dall'edificatione del ſacro tempio fabricato dal Re Salomone.* Quod equidem non capio. Nam ſi primam Hieroſolymitani templi conſtructionem ſpectes,

ſpectes, Veſpaſianum ea mille ampliùs annis antecedit : ſi ſecundam à Zorobabele, eodem hæc quoque ſexcentis annis eſt antiquior. Tertia quidem Templi reparatio noviſſimè cœpta eſt, & perfecta ſpatio annorum octodecim ab Herode Aſcalonita, qui proximè ad tempora Veſpaſiani acceſſit, ſed non pervenit tamen : ſiquidem infanticida ille anno Chriſti ſecundo ſublatus eſt, Veſpaſianus circa annum Chriſti decimum tertium natus. Itaque nullum imperantis Veſpaſiani numiſma cudi potuit anno octavo Templi Hieroſolymitani quovis modo ſumpti. Deinde quid, amabo, Veſpaſiano cum hoc Templo, quod ipſius auſpiciis à Tito deletum eſt? Igitur expendamus, num templa quædam ędificaverit Veſpaſianus, quibus poſſit nummi hujus inſcriptio competere. At duo certè extruxit magnificentiſſima, *Paci* alterum, in quod præclara quæque ſpolia Hieroſolymitani Templi tranſtulit; alterum *Jovi Capitolino.*


Quod ad primum attinet, ex Tacito & aliis, anno ſexto imperii Veſpaſiani conditum eſt, ipſo VII. & Tito VI. Coſſ. cùmque decem tantùm annis imperaverit, quatuor ſolis ſupervixit ædificationi templi *Pacis*: ac proinde cudi non potuit nummus ipſius viventis, anno octavo constructi templi *Pacis*, cùm quarto fatis conceſſerit.

T

Non poteſt igitur de alio novo templo intelligi noſter nummus, quàm de templo *Jovis Capitolini:* cujus etiam Jovis figura cernitur in averſa parte nummi. Nempe vigente bello civili Vitelliano, Sabinus Veſpaſiani frater, & Domitianus filius, qui Romæ partes ipſius fovebant, dum è Judęa adventaret, Capitolium occupaverant. Sed cùm eſſent à Vitellianis obſeſſi, in ipſo pręlii ardore, ignis immiſſus (ab utra parte incertum) Capitolium, & ipſum Jovis templum, antiquæ urbis pręclarum monumentum, abſumpſit. Sabinus captus & occiſus, Domitianus vix effugit. Sed converſo in perniciem Vitellii bello, ut primùm ingreſſus eſt urbem Veſpaſianus, templi hujus inſtaurationem ſuſcepit anno primo imperii: & ab eo reſtaurato æram quandam computaſſe videtur in hoc nummo, quem cudit anno imperii nono, Capitolini templi reparati octavo. Verùm ut ſincerè ſemper agamus, eruditus Henric. Valeſius hęc verba, ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. interpretatur, *anno novo ſacro octavo*, nempe imperii Veſpaſiani, cujus anni ſacri vocabantur, quòd rem Romanam renovaſſet atque inſtauraſſet: quemadmodum in inferiorum Imperatorum nummis legitur, *novi ſæculi reparatio.* Cæterùm de templi Capitolini ſolenni reparatione & magnificentia, mira produnt Tacitus, Suetonius &

alii. Sed quia ad propoſitum noſtrum nil conferunt, reticebimus ea conſultò, ut Trajanum & Hadrianum attingamus.


FRequens in nummis viſitur columna illa Trajani, ſeu potiùs turris, in qua inſtar cochleæ, interiùs per circuitum conſcendebatur, uſque ad epiſtylium, ſtatuâ ipſius Trajani decorum; quæque opere anaglyphico exteriùs bella cum Dacis peracta, & innumera antiquitatum monumenta, Romæ etiamnum exhibet. Sed nunquam, niſi XIX. TRAJANUS.



in ſubjecto nummo, vidi columnam iſtam ſolidam & nudam, cum impoſita faſtigio Noctua. Pars adverſa hujus nummi ærei, primæ magnitudinis, capite Trajani illuſtratur, cum epigraphe, IMP. CÆS. NER. TRAIANO OPTIMO GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. In averſa ſtat columna ipſa cum inſcr. SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS.

Nummi hujus explicationem commodè & minimo labore mutuari poſſe mihi videor ex aureo Magni Conſtantini nummo, apud illuſtriſſimum Sevium, qui habet in averſa Noctuam in cippo, cum inſcriptione, SAPIENTIA PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI. Item ex encomio ejuſdem Principis, apud Trebellium Pollionem in Gallieno: *Claudius, à quo Conſtantinus*, vel ut alii rectiùs, *Conſtantius vigilantiſſimus Cæſar originem ducit.* Ex utroque patet, prudentiam & vigilantiam, quæ noctuâ deſignantur, eſſe virtutes imperatorias, quarum ope generoſiſſimi Principes Trajanus & Conſtantinus, tot tantiſque bellicis expeditionibus defuncti, nomen æternum acquiſiere. Quemadmodum enim nocte viſu pollet Noctua; ita nihil tam reconditum ac difficile, quod prudentia & vigilantia non penetret & aſſequatur.

XX. SEVERUS. SEd & providentiam ſub altero typo uſurpavit in nummis Sept. Severus, ut patet in aureo pulcherrimo, quem hîc ſubjicere operæpretium duxi.



Habet in antica caput Severi cum epigraphe, SEVERVS PIVS AVG. In averſa caput Meduſæ, cum verbo PROVIDENTIA. An quòd Pallas, prudentiæ & providentiæ numen, geſtet in pectore Meduſam cum Ægide?

UTramque verò Severus idem, in altero aureo affabre admodum cuſo circumferre voluit videri in antica, quæ inſcribitur, L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PART. MAX. XXI. SEVERUS ALTER.



Scilicet Ægide & Gorgone illâ horrificâ, lævo humero inſculptâ, non ſolùm terrorem hoſtibus à ſe incutiendum, ſed etiam prudentiam militarem deſignavit.

ALteram virtutem, non ita inventu facilem in monumentis Imperatorum, nobis exhibet argenteus Hadriani nummus drachmalis, quem debeo urbanitati amiciſſimi viri, & eruditiſſimi Archiatri Rotomagenſis, Ægidii Gallemantii. Habet in antica caput Hadriani, cum inſcriptione, HADRIANVS AVGVSTVS P. P. in averſa figuram ſtantem, dextrâ extensâ pa- XXII. HADRIANUS

teram geſtantem, cum epigraphe, PATIENTIA AVGVSTI COS. III.



Sanè Chriſtianorum eſt potiùs virtus illa, quàm cap 6. Ethnicorum; & Ariſtoteles in Ethicis, ejus mentionem habet perexiguam: immo ibidem eam virtutem deprimere videtur his verbis: *perferre contumelias, ſervile eſt.* Illam tamen, ſed ambitiosè potiùs quam verè, in nummo pręfert Hadrianus: quippe patiens minimè dici poteſt, qui in malis quibus conflictatur, vindictæ deſiderio tenetur, aut ſe totum deſperationi permittit, ut excellentiſſimè nos docet naturæ totius ſagaciſſimus indagator *Curæus de la Chambre* in ſuis humanorum Affectuum Characteribus. At in dimittendis & diſſimulandis injuriis non multus fuit Hadrianus, qui tot Senatores ob leves ſuſpiciones neci dedit; ut & Apollodorum architectum ſola æmulatione artis ſuæ. An ejus virtutis, quæ tota eſt in ferendis adverſis, ſpecimen dare potuit, qui morbum extremum adeò impatienter tulit, ut abjectâ omni ſpe, violentas ſibi manus inferre voluerit, & amicos enixè rogaverit, ut

vitæ ſuæ finem accelerarent? In hoc ſolo patientior viſus, quòd Sabinę uxoris moroſitatem faciliùs tulit; ſi tamen illam ipſam, ut quidam autumant, non ſuſtulit.

NEque hîc prętermittendus duplex Antinoi nummus, unus inſignis mole, typo, raritate; habens in antica caput iſtius adoleſcentis, cum toto pectore, & verbis, ANTINOOC·HPΩC. In averſa ſublimis tollitur inter alas gryphi figura ipſius, cum inſcriptione, KAΛXAΔONIOIC IΠΠΩN. XXIII. ANTINOUS.



ALter mediocris magnitudinis, cum capite ſolo, & eâdem inſcriptione, habet in averſa upupam avem in medio coronæ laureæ, cum literis fugientibus, & ita attritis, ut adhibitâ diuturnâ & iteratâ meditatione vix aſſecutus ſim, AMICOY EΛEYΘEPAC. quas voces partim lego, partim conjicio ex ſimili inſcriptione, in ar- XXIV. ANTINOUS iterum.

genteo Hadriani, qui penes me eſt, nummo.



Refert Tacitus, Chalcedonenſes ab oraculo Pythio cæcos appellatos fuiſſe, quòd priores Byzantiis ad Boſphorum Thracium advecti, minùs proviſa locorum utilitate, pejora elegiſſent, ubi urbem conderent. Sed multò gravior fuit eorum cæcitas, dum pudendorum facinorum miniſtros inter divos annumerare attentarunt. Quippe Antinoum, illum Hadriani exoletum, ut videre eſt in averſa parte maximi numiſmatis, gryphi adminiculo in cœlum conſcendentem, omnibus intuendum exhibent. At non ii ſoli, ut Hadrianum ſibi demererentur, qui ejus memoriæ ſtatuas, templa, urbes dicaverat; ſed plures etiam alii Grçciæ populi, ex Antinoi anima ſidus exortum eſſe, ac tum primùm apparuiſſe, mentiebantur. Et hoc eſt fortaſſe, quòd ille dextrâ ſuper caput revolutâ geſtare videtur.

Neque verò multò minor eſt Amiſenorum petulantia, qui nummum alterum percuſſerunt. Nempe illum inter Heroas & Semideos admittunt & nominant, ſuamque intempeſtivam in illius

lius cultu pietatem oſtentant, ſub figura upupæ, quæ apud veteres pro ſymbolo pietatis erga Deos & parentes habebatur. Niſi malimus hanc aviculam eſſe imaginem pietatis, ſeu potiùs inſaniæ, ipſius Antinoi erga Hadrianum patronum, cujus causâ mortem obire non dubitavit. Cùm enim Hadriano, dæmonum cultui & magicis artibus addictiſſimo, perſuaſum eſſet & ſtatutum, ſacra quædam impia peragere, in quibus humano ſanguine litandum, & animâ voluntariâ opus eſſet; Antinoum ſe ſponte ſua immolandum præſtitiſſe ferunt: quamvis aliis Nilo demerſum fortuitò placet. Cæterùm circa priorem nummum, hîc omittendum non puto, duplici orthographia *Chalcedonis* nomen ſcribi apud Græcos. Plures enim, immo fermè univerſi autores, ſcribunt ΧΑΛΚΗΔΩΝ, ſolus Strabo ΚΑΛΧΗΔΩΝ, litteram Κ à ſecunda ſyllaba in primam transferens, & viciſſim Χ in ſecundam. At verò nummi omnes quos vidi, Straboni favent, & habent ΚΑΛΧΗΔΟΝΙΩΝ, & alii ex Dorica dialecto ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ, ut meus ſuperior, & alter mediæ magnitudinis, de quo Triſtanus tomo II. Tranquillinæ nomine, cujus etiam vidi prototypum æreum apud Illuſtriſſ. Brienneum. Alterum vidi apud cl. V. Car. Patinum, cum capite Juliæ Domnæ, qui in averſa lyram ſeu citharam habet, cum in-

V

ſcriptione, ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ. Immo & inter meos urbium Græcarum nummos viſitur unus Chalcedonenſium, cum capite Apollinis in antica, & tripode in averſa, ac verbo ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ. Goltzius tamen ſuos cum Χ in principio dictionis exhibuit; ut vix ſcire poſſimus utrorum ſit error, an librariorum, an monetariorum: dum interim liquet utroque modo exarari & ſcribi. ΙΠΠΩΝ, ut opinor, nomen eſt Prætoris, ſeu Pręfecti, qui Chalcedonenſibus dicat numiſma in honorem Antinoi.

XXV. ANTONINUS PIUS.

NUmmus ecce æreus maximus, habens caput laureatum Antonini Pii cum inſcript. T. ΑΙΛ. ΚΑΙϹΑΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. in averſa parte Jovem nubibus aut rupibus inſidentem, manus ſiniſtræ volâ fulmen exhibentem, dexterâ è cornucopiæ profundentem in terram innumeras minutias, quaſi rorem aut pluviam. Inferiùs jacet



figura coloſſica cum capite radiato, cujus ad pe-

des conſtructa videtur ædicula, ſeu templum, cum vicina cupreſſu, & inſcriptione, ΠΕΙΩ. ΕΦΕ-CΙΩΝ. hoc eſt, *Pio. Epheſiorum.*


Alius ejuſdem fere typi adſervatur in Muſeo Regio, habetque in averſa ΠΕΙΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ, non verò ΠΕΙΩ, & plures veluti turres ſuperadditas, à ſe invicem diſtantes: ſed figura jacens caput non habet radiis redimitum, ut in meo, & videtur eſſe fluvii alicujus. Illum deſcripſit illuſtriſſimus Abbas Brunotius, in eruditiſſimo & accuratiſſimo, quod confecit, Regiorum Numiſmatum Indice, his verbis: *Hujus nummi area dat nobis Jovem ſedentem in nube, qui dextrâ pluviam guttatim impertitur terræ, à figura Fluvii ad ima areæ jacentis avidè, ut videtur, receptam. Lævâ verò fulmen gerit non minax, ſed quietum, in vola manus: à cujus parte duæ turres ſaxis impoſitæ. In loco paululùm depreſſiori templum in conum deſinens, cum arbore cupreſſo: à dextra verò pluviatilis Jovis, turris alia ſcopulo humiliori impoſita eſt.* Hæc vir nobiliſſimus pro munere, quo præclariſſimè fungitur, in cuſtodiendo & ordinando Muſeo Regis Chriſtianiſſimi. Interim facilè mihi perſuadeo, iconiſmo illo Antoninum Pium deſignari, qui, ſi ullus unquam Imperator, ſuis erga mortales meritis, Deorum beneficentiam imitatus eſt: atque ideo ſub figura Jovis Benefici ab Epheſiis gratum

animum teſtantibus exhibetur. Quod ad jacentem figuram illam coloſſicam pertinet, ſuſpicatus ſum aliquando, eſſe ſymbolum ſive terræ totius, ſive provinciæ ſolius Epheſinæ aut Ionicæ, quæ poſt grave aliquod incommodum, ſive terræmotus, ſive anguſtioris annonæ, aut ſterilitatis, Antonini Pii ſubſidiis recreata ſit: in cujus rei gratiam dedicatum fuerit illi templum iſtud. Sed quia radiis, quantùm vetuſtas aut ærugo ſinit conjicere, coronata figura jacens illa videtur, non verò turribus, ut fieri ſolet in urbium & provinciarum iconibus: vereor ne vim aliquam patiatur hæc explicatio. Utut eſt, fruantur eruditi inſignis hujuſce numiſmatis myſteriis, & expendant, an non hæc figura ſit fluvii alicujus; pręſertim cùm inter rupes à capite ad calcem diſtendi videatur; & an cupreſſus illa ſepulchrum potiùs quàm templum deſignet. Quòd ſi, ut par eſt, arrideat illis inſcriptio nummi Regii ΠΕΙΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ, *Piorum Epheſiorum*, ſanè hoc imperatorio adjuncto ſeu cognomine, Epheſii ſe Antonini totos eſſe profitentur; & cultum ſingularem, quo illum proſequuntur, notum faciunt.

XXVI. ANTONINUS iterum.

ECce iterum Antoninus Pius in nummo æreo primæ magnitudinis, cùm ſemeſa inſcriptione . . . . ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC CΕΒ. . . . In averſa

muliebrem habet figuram, ſeminudam, monti ſeu rupibus inſidentem, & dextero brachio innixam, quæ ſiniſtrâ manu floſculos geſtat. Pone ipſam erigit ſe arbuſtum quoddam fluviatile. In medio nummo legitur ΡΟΔΟΠΗ. in ambitu, ΗΓΕΜ. Μ. ΠΟΝΤ. CΑΒΕΙΝΟΥ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟ.



Patet cuſum fuiſſe nummum juſſu *M. Pontii Sabini Præſidis Philippopolitani* in Thracia, qui Rhodopei montis, huic urbi vicini, ſymbolum in eo ſignavit. Sed quod Philologis noſtris non ingratum fore confido, videtur hic nummus ortam ſuper Rhodope inter Mythologos litem poſſe dirimere. Vetus enim interceſſit diſſidium de ortu Rhodopes, à qua mons nomen accepit. Quidam fuiſſe Thracum Reginam aiunt, ibi ſepultam, aut in montem ipſum converſam, ut placet Ovidio. Alii filiam Strymonis fluvii, quæ à Neptuno compreſſa, Athon genuit, etiam monti cognominem. Poſterioribus favet iconiſmus mulieris. Neque enim diademate, vel coronâ, aut

alio, quali decet Reginam, cultu inſignitur: ſed intecto & pene nudo corpore Naiadem omnino repręſentat. Deinde floſculus quem ſiniſtrâ gerit, & arbuſtum illi vicinum, fluviatiles ſunt notæ. Flos enim ille, idem videtur eſſe, qui ab Herbariis vocatur nymphæa, quia locis aquoſis gaudeat; eſtque herbæ genus in paludibus naſcens & aquis ſtagnantibus: alio nomine Heracleon, quod Nympha quædam Herculis amore capta, in hanc herbam feratur commutata. Ex quibus omnibus colligere licet, figuram in nummo expreſſam, Rhodopen deſignare, Strymonis fluvii filiam.

XXVII. Lucilla L. Veri.

LUcillæ L. Veri nummus argenteus hîc locum obtineat. Habet in antica parte caput ejuſdem Lucillæ cum inſcriptione, ΛΟΥΚΙΛΛΑ CÉBACTH. In averſa Cererem ſedentem, cum epigraphe, BACIΛΕΥC MANNOC ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟC.



Rarior mihi videtur hic nummus, tum quia

Gręcus, tum quia Regis barbari nomen minùs notum profitetur. Savotius enim noſter, qui de raritate nummorum antiquorum diſſeruit, inter rariores reponit, argenteos imperatorios qui Gręca inſcriptione gaudent : quod utplurimùm ita eſſe ſumus experti, pręcipuè in fœminis. Quiſnam verò fuerit Rex ille *Mannus*, vix didicimus ex Dione, qui refert Trajanum ad bellum Parthicum progredientem, *Manum* quendam Regem Arabum, qui ultra Euphratem ex adverſo Comagenes, inter Oſrhoënos, ſeu Edeſſam, & Armeniam majorem degunt, ſuſpectum habuiſſe; tum quòd vocatus, ad Imperatorem non acceſſiſſet; tum quòd auxiliares copias Adiabenæ Regi Mebarſapi, Romanorum hoſti, ſuppeditaſſet. Hujus filius, aut nepos ejuſdem nominis *Manus*, aut potiùs cum duplici *n n*, ut in nummo, MANNVS, is eſſe potuit, qui eundem cudit in honorem Lucillæ, quæ Antiochiæ degebat, non longè ab hujus Reguli ditione. Siquidem L. Verus Imperator, Avidium Caſſium contra Vologęſum cum toto exercitu & optimis ducibus mittens, Antiochiæ cum uxore Lucilla remanſerat; ſpecie, ut omnia conſtitueret, & commeatum exercitui compararet: re quidem vera, ut otio & genio indulgeret. At verò *Mannus* Romano milite undique circumſeptus, Philoromæi nomen accepit, *lib. 68.*

ne quid incommodi pateretur; cùm reipſa ille, & alii Reges inter Imperium Romanum & Parthicum ſiti, neutri, niſi coacti, adhęrerent. Quod verò cognominis fuerit ei, qui Trajano imperante Arabes regebat, id familiare erat Regibus Syriæ vicinis eodem nomine appellari; ut Edeſſenis, quorum *Abgarus* erat nomen ordinarium, quemadmodum Ægyptiorum *Ptolemæus*.

XXVIII. PERTINAX. ARgenteo nummo ſuccedat argenteus, in quo caput Pertinacis, cum inſcriptione, IMP. CAES. P. HELV. PERTIN. AVG. In averſa parte ſtat figura muliebris, dexterâ teſſeram frumentariam, ſiniſtrâ cornucopiæ geſtans: inſcribitur, LIBERTATIS CIVIBVS.



Duplex rariſſimæ iſtius inſcriptionis afferri poteſt ratio. Prima, quòd poſt necem Commodi, qui nobiliorum fortunis & vitæ, quandiu vixit, inſidiatus eſt, Romani omni metu liberati, quaſi recuperatâ libertate, Pertinaci gratulantur. Ita
Lib. 73. & Senatoribus obviis, ut memorat Dio, plebs accla-

acclamabat, ἄγε ἄγε, ἐσώθης, ἐνίκησας, *Age age, ſalvus evaſiſti, viciſti.* Commodus enim omnia violenter agebat, & ſtatuam ſibi poni juſſerat pro curia, quæ arcum tenderet (ejuſque typum ſervo in nummulo æreo Greco) ut etiam imagines ipſæ terrorem atque minas præ ſe ferrent. Hanc Senatus illo occiſo ſuſtulit, proque ea *Libertatis* imaginem repoſuit. Quæ verò libertas & ſecuritas Senatus excogitari poſſit eâ major, quâ gaudebat, Imperium adepto Pertinace, qui Falconem Conſulem opibus & nobilitate clarum, ſibi inſidiantem, non permiſerit à Senatu damnari, exclamans: *Abſit, ut me imperante ullus Senator etiam jure occidatur.*

Alteram inſcriptionis rationem figura illa muliebris, teſſeram frumentariam manu geſtans, ſuppeditat. Nimirum initio principatus ſui, cùm Populum Romanum gravi annonæ caritate preſſum videret, noſſetque ſeditiones Romæ ex ejuſmodi penuria ſępe ortas; ipſe navi conſcensâ obviam frumentatoribus ivit, ut eorum adventum accelераret: nec priùs ab hac cura & ſollicitudine deſtitit, quàm de Falconis defectione nuntium accepit. Cùm igitur rei frumentariæ abundantiſſimè providiſſet, & civium ſuorum inopiam levaſſet frequentibus congiariis, quibus per teſſeras fiebat frumenti largitio: nummus hic argenteus

in memoriam accepti beneficii cuſus eſt. At viciſſim ipſe erga Deos non ingratus videri volens, alterum nummum, quem tum argenteum, tum æreum penes me habeo, procudi curavit: in quo à parte averſa figura muliebris ſedet, manu dexterâ duas frumentarias ſpicas oſtentans, cum epigraphe, OPI DIVINÆ; ut & auxilii divini memorem ſe præberet, & pręcipuè *Opi* ſeu *Terræ*, quæ frumenta profert, honorem haberet.

XXIX. Julia Severi.

PUlcherrimum æreum primæ magnitudinis nummum aggredior, acceptum olim à Cl. Viro Stephano Mazureo, cognatione & amicitiâ mihi conjunctiſſimo, cujus ſtudio & diligentiæ debetur, utplurimùm, quidquid eſt pretio aut raritate apud noſtros Antiquarios conſpicuum. Pręfert in antica parte caput Juliæ Severi, cum epigraphe, ΙΟΥΛΙΑ ΑΥΓΟΥϹΤΑ. In averſa Bacchus vultu juvenili, corpore nudo, dextrâ thyrſum gerens, ſedet in curru cum Iſide, quę turriculam aut modium habet in capite, & cornucopię in ſiniſtra. Impreſſa eſt tigris aut panthera ſub Baccho ad latus currus, quem vehunt Centauri duo mas & fœmina, hęc duplicem inflans fiſtulam. Ante ipſos exultat puer Ciſſus, hederę plantę cognomini vicinus. Ad lęvam Iſidis ſtat Cupido dextrâ facem gerens. Cęterùm Bac-

chus & Ciſſus corniculis, ſeu flammulis, in fronte ſunt inſigniti. Inſcript. ΝΙΚΑΙΕΩΝ.



Laborem faceſſit quibuſdam primo intuitu Bacchus cum Iſide junctus, donec meminerint eundem illum eſſe atque Oſiridem, qui vir Iſidis & frater, apud Ægyptios. Nam Auſonius ſic canit: *Epigr. 29.*

Ogygia me Bacchum vocat,
Oſirin Ægyptus putat.

Idem pluribus teſtantur Plutarchus, Herodotus, & Diodorus Siculus, qui aiunt in ſacris Bacchi & Oſiridis, eaſdem obſervari ceremonias; utrique vitem tribui, ſimul & hederam, quæ linguâ Ægyptiâ vocetur *Chenoſiris*, hoc eſt, planta Oſiridis; utrumque Niſæ educatum, utriuſque comites Satyros & Panes. Immo ſerpens ipſa, cum qua Oſiris in tabula Iſiaca Bembi videtur, fuit amica Bacchi, & Orgiorum ejus comes individua, ut in argenteis Laodicenſium numiſmatibus ſuperiùs annotavimus. Præ omnibus de his appoſitè cecinit Tibullus: *in Iſide & Oſir. lib. 2. lib. 1. lib. 1.*

Te canit, atque ſuum pubes miratur Oſirim
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.
Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem;
Hic viridem durâ cædere falce comam.
Illi jucundos primùm matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos neſcia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſolvenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet durâ compede preſſa ſonent.
Non tibi ſunt triſtes curæ, nec luctus, Oſiri;
Sed chorus & cantus.

Cùm idem ſit Bacchus atque Oſiris, quis miretur comitem adeſſe Iſidem in noſtro nummo, Plutarcho prçſertim affirmante ex Anticlide, eos connubio junctos?

Bacchus igitur, ut vir Iſidis, primas tenet in curru, nudus ipſe, cujus rationem reddit Phurnutus. *Simulachra*, inquit, *Bacchi nuda fiebant, ut vini naturam oſtenderent, quæ ſecreta revelat.* Hinc vulgatum, *in vino veritas*. Dextrâ thyrſum

ſive haſtam tenet, cujus mucro hederâ lambente protegebatur: quod ſignificat, inquit Macrobius, vinculo quodam patientiæ obligandos impetus furoris. Habet enim hedera vinciendi obligandique naturam: vini verò calor ad furorem ſæpe hominem propellit. Quidam illi thyrſum tribuunt, quòd ebriorum pedes officium ſuum haud planè peragant ſine ſcipione: alii verò, quòd compotatio raro ſine rixa & lite finiatur. Ad oram currus depicta eſt tigris, vel panthera; ſive quòd vinum, ut jam dixi, furorem hominibus inducat; ſeu potiùs, quòd moderatè ſumptum, ferinos ruſticorum animos conciliet; ſive etiam quòd Bacchus triumpho Indico ejuſmodi feras currui junxerit. Martialis: *lib 8. epig. 26.*

Nam cùm captivos ageret ſub curribus Indos,
Contentus geminâ tigride Bacchus erat.

Illum quidem inter pantheras educatum plurimi tradunt. Ælianus de Animalibus, pantheræ quoddam genus ἄμπελοι, hoc eſt, vitem vocari ait, eodem nomine cum frutice vinifero. At quemadmodum Bacchus, vel Oſiris, omni naturæ humidæ præeſſe exiſtimatur: ita Iſis terra eſt, vel natura rerum ſubjacens Soli; ideoque illi modius in capite, & cornucopiæ in brachio ſiniſtro, veluti frugum parenti, adſignatur in nummo. Adeſt illi Cupido, qui ejus filius cenſetur; vel quia ex *lib. 10. c. 39.*

Chao & Terra, quæ Iſis eſt, natum fabulatur Heſiodus; vel quia Iſis eadem atque Venus, Cupidinis mater.

Centauros Bacchi vectores non ſolus repræ-
lib. 16. ſentat noſter nummus, ſed etiam Nonnus eos ipſius currui ſubjungit; quia inſignes vini potatores apud veteres exiſtimati ſunt. Teſtis cum Lapithis pugna, in nuptiis Pirithoi & Deidamiæ. Ante Centauros currum vehentes cernitur ludibundus puer Ciſſus, hederaceo ſtipiti, cui nomen dedit, adhęreſcens. Cùm enim in Bacchi comitatu ſaltaret cum Satyro, humi ab eo letaliter afflictus, ab ipſo Baccho in hederam eſt mutatus, quæ κίσσος Gręcè, & exinde ipſi ſacra: vel, ut fabulas mittamus, quia contra ebrietatem facere cenſetur. Cornua verò ideò Baccho attributa refert
lib. 5. Diodorus, quòd primus boves ſub jugum miſerit, idem atque Oſiris, ut ſuprà retulimus ex Tibullo:

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.

lib. 4. Aliam tamen tradit rationem Diodorus idem, nempe quòd ſit Ammonis filius, quem arietinis cornibus inſignem nemo neſcit. Aliam adſignant alii, quòd vinolentia proterviam & contumaciam pariat, quæ per cornua deſignatur. *Cornua*, inquit Feſtus, *Libero patri tribuuntur; eò quòd homi-*

nes nimio vino truces fiant. Veteres etiam pro poculo, cornu bovis utebantur. Sed quia cornua Bacchi in nummo noſtro minutiſſima ſunt, & ſolares radios potiùs imitantur, quàm animalium cornua; in memoriam revocant Ægyptiorum doctrinam, qui Bacchum aiunt eſſe luminis inventorem & autorem, immo eſſe Solem ipſum: unde *Ignigena* vocatur ab Ovidio, non ſolùm quòd à fulminata Semele ſit genitus, aut propter igneam vini naturam, ſed quòd ſit ipſe Apollo. Hinc cum face accenſa in manu repręſentabatur ab Ægyptiis & Græcis, apud quos λαμπτήρειος vocatus eſt, & feſta ejus λαμπτήρια à Pallenenſibus celebrata. Inter noſtros etiam Latinos Sidonius Apollinaris cecinit: *Poëm. 22.*

Caput aurea rumpunt
Cornua, & indigenam jaculantur fulminis ignem.

Et ante ipſum Horatius illum deſcendentem ad inferos, id eſt, in occaſum vergentem, deſcribens: *lib. 2. Od. 19.*

Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Quid Baccho cum Nicæenſibus, qui nummum cuderunt, pluribus ediſſerit eruditus noſter Triſtanus, cujus in meſſem falcem mittere religio eſt. Ipſum adire licet, nec quemquam doctrinæ purioris & ſanioris avidum pœnitebit.

XXX. ANTONINUS CARACALLA.

JUliam matrem comitabitur filius, Antoninus Caracalla, in æreo primæ magnitudinis nummo, cum capite laureato, pectore loricato, & inſcriptione, M. AVREL. ANTONINVS PIVS AVG. In averſa parte cęlatus eſt Hercules nudus, ſtans, dextrâ libans patera ſuper aram ignitam, lævâ clavam & pellem leoninam geſtans. Eo coram ſaxea quædam moles conſpicitur, duabus columnis in modum metarum diſtincta, cujus ab infima parte aquæ defluunt. In ima parte nummi videre eſt conchylium: inſcriptio ſic legitur, SEP. TYRVS M.... COLO. hoc eſt, *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.*



De hoc nummo pauca mihi dicenda, quamvis amplam & fœcundam meſſem ſuppeditet. Quem enim paulò antè laudavi, Triſtanus in Hadriano, ſuper inſigni Gordiani tertii nummo, cujus pars averſa eaſdem columnas refert, tantâ eruditione & diligentiâ diſſeruit, ut omnino nihil addi poſſit.

Comment. to. 1. pag. 491.

ſit. Mei tamen nummi copiam ſtudioſis faciendam cenſui, tum quia nondum, quod ſciam, editus fuit, ac peculiari typo cuſus eſt; tum quia illis anſam præbebit diſceptandi, num columnæ illæ ſint Herculeæ toties decantatæ, ad Gades Tyriorum coloniam poſitæ; an etiam aquæ illæ interfluentes, pro freto Gaditano accipi poſſint; an non potiùs deſignent *Petras Ambroſias*, undis innatantes, quibus firmatis ſuperſtructa dicitur antiqua Tyrus: de quibus preſertim copiosè Triſtanus loco citato, conſulendus. Quod ad concham in infima nummi area poſitam pertinet, dubitari non poteſt, quin exhibeat conchylium purpuræ vel muricis Tyrii, ex cujus cruore fiebat purpureus ille color, toto orbe celeberrimus, magnatum & virorum principum veſtibus intingendis.

ALter æreus, ſecundæ magnitudinis, capite Alexandri Severi percuſſus eſt, ſine corona, cum inſcriptione, M. AVR. ALEXANDER CAES. Habet in averſa Cæſarem ipſum ſtantem, paludatum, dextrâ ſceptrum demiſſum tenentem, lævâ haſtam puram: à ſiniſtra ſtant duo ſigna militaria, cum inſcript. INDVLGENTIA AVG. S. C. XXXI. ALEXANDER SEVERUS.



Novus hic indulgentiæ typus, necdum in nummis viſus; qui tamen hiſtoriam ſcrutanti confeſtim & facilè conſtabit. Neque enim ſolâ Deæ ſedentis imagine, quæ dextrâ pateram, lævâ haſtam gerit, hæc virtus adumbratur in nummis; ſed etiam iis, quos producit, effectibus nonnunquam deſignatur. Sic in nummis Sept. Severi & Antonini Caracallæ, *Indulgentia in Carthaginienſes*, ſignatur icone matris Deûm leoni inſidentis, ſeu potiùs Deæ Cœleſtis, quæ hujus urbis peculiare numen. At in noſtro Severus Alexander, ſeu potiùs Senatus Romanus, Elagabalum demereri volens, & ipſius indulgentiam extollere, quâ Cæſaris nomen & dignitatem Alexandro contulerat, *Indulgentiæ Auguſti* nummum cum figura Alexandri Cæſaris conſecravit. Immo & alterum primæ magnitudinis aſſecutus ſum, ejuſdem Alexandri Cæſaris, cum icone Deæ Spei, & eâdem *Indulgentiæ* inſcriptione in averſa. Siquidem Julia Mæſa ſagax & providens fœmina, Elagabali avia, animadvertens ipſum ob nefanda flagitia

apud probos quoſque offendiſſe, & ſuſpectans contemptum ac indignationem omnium ordinum, quæ Romæ in ipſius perniciem vergebat; ut Imperium familię ſuę conſervaret, Elagabalo vix decimum octavum annum agenti perſuaſit, ut Alexandrum ſibi ſufficeret, qui principatum illi ab omni moleſtia & cura liberum pręſtaret, ac res humanas curaret: dum ipſe Imperator, Deorum, ac pręcipuè ſui Elagabali, cultui & ceremoniis vacaret. Quod illi, alioquin levi ac ſtolido adoleſcenti, probatum cùm eſſet; Alexander, Cęſar appellatus eſt, & Conſul factus cum Elagabalo, à quo in filium adoptatus eſt. Sed propter morum diſcrepantiam illicò ipſum facti pœnituit, nec deſiit Alexandro apertè & occultè inſidiari, donec in caſtris prętoriis cum matre Soëmiade miſerrimè dilaceratus eſt; ipſo Alexandro Imperatore acclamato, ut videre eſt apud Herodianum.

SOla raritas, & typus inſolens, ęreo ſequenti ſecundę magnitudinis hîc locum dabit. Oſtentat duo capita Imperatoris Maximini laureati, & Maximi Cęſaris abſque corona, cum epigraphe, ΑΥΤ. Κ. Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗΡ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ, Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗΡ. ΜΑΞΙΜΟϹ Κ. hoc eſt, *Imp. Cæſ. C. Jul. Verus Maximinus. C. Jul. Verus Maximus* XXXII. MAXIMINUS & MAXIMUS.

Cæſ. In averſa parte bini Tritones figuram in ſuperiori parte nummi ſellæ inſidentem, quæ dextrâ pateram, lævâ tridentem, vt videtur, geſtat, altero quiſque brachio ſuſtinent. In gyro ſcriptum eſt, ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ.



Hujus poſtremæ vocis orthographia ancipitem me tenuit. Pruſa enim, apud quam cuſum exiſtimo nummum, ΠΡΟΥΣΑ, non ΒΡΟΥΖΑ, ſcribi ſolet. Sed huic evellendo ſcrupulo plurimùm confert Ezechiel Spanhemius, qui in erudita & accurata, quam edidit de Præſtantia & Uſu Num. antiq. Diſſertatione, annotavit iſtas litterarum permutationes non caſui aut errori tribuendas, ſed pronuntiationi litterarum inter ſe affinium aut ſimilium: quod confirmat ex Luciani dialogo litterarum, in quo Σῖγμα queritur ſe ex Smyrnęorum quibuſdam nummis expunctum eſſe à Ζῆτα ſuum locum occupante. Quod etiam exemplis illuſtrat Vir nobiliſſimus, & de re antiquaria meritiſſimus. Ita & Β pro Π, itemque Ζ pro Σ in

verbo Βρουζηνῶν poni credimus; nec aliam, quàm *Pruſam* urbem deſignare: præſertim cùm ævo poſteriori *Burſia* dicta ſit per B, cùm Orchanes Turcarum Imperator in ea Imperii ſui ſedem conſtitueret: & ipſe Linguarum Theſaurus *Bruſam* enuntians, illam ad *Pruſam* reducat. Scio in nummis ſolitum ſcribi Προυσίων aut Προυσιέων: ſed quidni à Προῦσα Προυσηνῶν, ut etiam à Βροῦσα Βρουσηνῶν dicamus, ſuperioribus auctoritatibus & conjecturis firmati. Quòd ſi Pruſæ nummus adjudicetur, ei procul dubio tribuendus quæ in Bithynia ad Olympum montem, & in ora Propontidis *ad mare* dicitur. Quod conjicere licet ex marinis iſtis numinibus in nummo cęlatis. Tritones enim Neptuni & Salaciæ filii traduntur à Mythologis. Quo facilè adducor ut credam, figuram illam in throno ſedentem, ipſius eſſe Neptuni, qui in hac urbe maritima colebatur. Quamvis etiam ad Jovem referri poſſet, qui ſæpius quàm Neptunus ſedentis habitu deſignatur in nummis, niſi tridens repugnaret. Sed ut nihil, quod ad præclarum hunc nummum elucidandum conferre poteſt, prætermittam, monuit me pro ſua intima benevolentia R. P. Gabriel Coſſartius Societ. J. inſcriptionem ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ in averſa nummi expreſſam, quam ego ad Pruſam Bithyniæ retuli, pertinere poſſe ad ΒΟΡΥΖΑΝ urbem, quam Stephanus ſitam

in Ponto refert: idque ſi literam P poſt O reponamus, unde tranſlatum eſſe errore Monetarii credi poteſt, ita ut legatur ΒΟΡΥΖΗΝΩΝ. Ego tanti viri auctoritati lubens ſum aſſenſus. Vir cl. Joan. *Vaillant*, Bellovacenſis Medicus, nihil in verbo ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ mutandum obteſtatur, & urbem nobis indicat in Phrygia ſitam, quæ ab Hierocle ΒΡΟΥΖΟΣ appellatur, unde ΒΡΟΥΖΗΝΟΙ. Macedonius ΤΩΝ ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ Epiſcopus Concilio Conſtantinopoli anno DXXXVI. habito ſubſcripſit.

XXXIII. Gordianus tertius. JAm Gordiani tertii nummum profero, æreum, mediocrem, in quo Imperatoris iſtius caput laureatum, & epigraphe, ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. In averſa templum tetraſtylum videtur, cujus in medio ſtat Dea velata nubentis habitu, nempe Juno pronuba. A parte ſiniſtra in gradu infimo, quo ad templum aſcenſus, viſitur capſa quædam in modum thecæ hortenſis, cum arbuſtulo, & verbo ϹΑΜΙΩΝ.



Diu hæſi, fateor, ſuper myſticæ hujus arculę, quæ nuſquam mihi in nummis occurrerat, explicatione. Primo intuitu ſuſpicatus ſum eſſe vas aquæ ſalientis, ad ablutionem eorum, qui templum libationis aut ſacrificii causâ accedebant. Dubitavit etiam aliquis, num columnę templi fuerint ligneæ, & novo quodam miraculo vel pręſtigio ramos emiſerint, radicibus in terram actis. Tandem arcanum mihi videor aſſecutus, ex Pauſania in Achaïcis. Samii, apud quos cuſus nummus, magna ambitione referunt, Junonem apud ſe natam ad Imbraſum fluvium, ſub *Vitice* planta ex viminum genere; quæ diu poſtea in templo Junonis viſa eſt, ἐν τῷ Ηραίῳ, ubi adhuc Pauſanię ipſius ævo oſtendebatur: illudque eſt arbuſtulum, quod è regione columnæ nummus repręſentat. Vitex verò, frutex eſt in arborem aſſurgens, in fluminum ripis ac torrentum alveis naſcens, ramis prælongis lentiſque, foliis olivæ, ſed mollioribus: Græci ἄγνον vocant, quod nobis *caſtum* ſonat. Hinc eſt, quòd matronæ Athenienſes, Feſta Theſmophoria in honorem Cereris celebrantes, quia caſtitatem ſervabant.

Perque novem noctes venerem tactumque virilem
In vetitis numerant,

ut cecinit Ovidius: ex foliis viticis cubilia ſibi ſubſternebant, quia, ut ait Ælianus, vitex exi- *lib. 9. de anim. cap. 26.*

ſtimatur ab veneris appetitione prohibere, unde vulgò ab Herbariis *Agnus caſtus* vocitatur. Si velis eſſe ſymbolum Junoniæ pudicitiæ, non repugnabo.

Quod ad templum pertinet, ab Argonautis ipſis dedicatum tradit idem Pauſanias, illuc ſigno Deæ ab Argis devecto, quod antiquiſſimum eſſe ſcribit, utpote opus Smilidis Æginetæ, qui Dędalo æqualis fuit. Eratque velata Juno habitu nubentis, ut in nummo: & ſacra ejus anniverſaria, nuptiarum ritu à Samiis celebrabantur, quia apud eos adoleverat, & Jovi nupſerat.

XXXIV. GORDIANUS ET TRANQUILLINA.

ALterum ecce Gordiani tertii nummum æreum primæ magnitudinis, cum adverſo capite Tranquillinæ uxoris, & inſcr. AYTOK. K. M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟΝ. CAB. ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑΝ. CEB.



In altera parte rupibus inſidet figura muliebris, capite turrito, cujus capiti imminet eques ſagittarius, aut Centaurus decurrens: hæc dextrâ ſegetes

getes tenet, & ante pedes ejus figura nuda cernitur, brachia, more natantis, inter aquas extendens, cum inſcriptione, ΑΥΡ. ΣΕΠ. ΚΟΛ. ΣΙΝΓΑΡΑ. *Aurelia Septimia Colonia Singara.*

Maximi apud Antiquarios momenti & exiſtimationis ſemper fuere coloniarum nummi, & earum præſertim, quæ versùs longinquos & remotiores Imperii limites deductæ ſunt. Romanam enim potentiam latiùs prædicant, quæ gentes quaſi toto orbe diſſitas, coloniarum ope, in officio continebat. Inter cauſas enim coloniarum deducendarum enumerantur præcipuæ duæ: prima, ut populi ſubacti coërcerentur; altera, ut hoſtium incurſiones reprimerentur, eſſentque tanquam præſidia partis bello provinciis. Hinc Cicero eas vocat Imperii propugnacula: *Eſt*, inquit, *operæpretium diligentiam majorum recordari, qui colonias ſic idoneis in locis, contra ſuſpicionem periculi collocarunt, ut propugnacula Imperii eſſe viderentur.* Sed ſi ulla unquam acquiſita bello provincia, opus ejuſmodi præſidiis habuit, certè Meſopotamia, quam, cùm diſſita longiùs, & hoſtibus potentiſſimis, nempe Parthis ac Perſis, finitima eſſet, ſic erat tueri difficile, ut eam Hadriànus, cum quibuſdam aliis à Trajano in poteſtatem Populi Romani redactis, deſerere ſatiùs duxerit, ut & Philippus poſt illum, cæſo Gordiano.

de lege agr. contra Rull.

Ejus eſt provinciæ Singara, Rhetavorum civitas, cujus mentio in nummo, à qua & Singarena regio nomen invenit: quæ, ſi non primùm à L. Aurelio Vero, qui per Avidium Caſſium legatum in his Orientalibus provinciis contra Vologęſum Parthorum Regem bellum geſſit, ſaltem poſtea à L. Septimio Severo colonia facta videtur. Satis hoc innuit *Septimiæ* gentile nomen, quo inſignitur; nec abnuit alterum *Aureliæ.* Quippe Severus tanta dignatione M. Aurelium Antoninum proſecutus eſt, ut illum patris loco habere voluerit, teſte ipſius nummo, in cujus averſa parte

in Severo. DIVI M. PII F. appellatur. Sed Æl. Spartianus illum ait in Marci familiam tranſire voluiſſe, & filium ſuum majorem Baſſianum, appoſito *Aurelii Antonini* nomine, Cæſarem appellaſſe; & eò uſque proceſſiſſe hanc erga Marcum propenſionem & cultum, ut ſceleſtum illum ejus filium Commodum in Divos retulerit, & Antonini nomen omnibus deinceps Imperatoribus adſcribendum cenſuerit. Hinc eſt fortè quod ejus demortui reliquiæ in M. Antonini ſepulcrum illatæ ſunt. Cùm igitur *Aurelia* & *Septimia* denominetur *Singara,* illuc à Severo coloniam deductam potiùs crediderim, quàm à Vero, qui Antiochiæ Parthici belli tempore otiabatur. Severum autem ipſum, Niſibim uſque, à qua non longè di-

ſtat Singara, penetraſſe ſcribit Dio; militeſque *lib. 75.*
ejus, poſtquam Seleuciam, Babylonem, Cteſiphontem, aliaſque remotiores urbes occupaſſent, ad ſuperiores partes Tigris, cui adjacet hæc colonia, pedeſtri itinere aut navigiis rediiſſe. Similem poſtea expeditionem ſuſcepit Gordianus adversùs Regem Artaxerxem, qui Parthicum Arſacidarum Imperium aboleverat, & Niſibim uſque pervenit, vicinaſque gentes. Inter eas Singareni præclarum hunc nummum, in honorem ipſius & uxoris Tranquillinæ, cuderunt. Figura illa muliebris, in averſa parte ſedens, cincto turribus capite, urbis Singaræ typus eſt, dextrâ fruges fertilitatis indices tenens. Sagittarius eques, Parthorum & Perſarum militiam deſignat, quæ potior equitibus & arcu: figuram verò nudam, ad pedes mulieris ſitam, flumen Tigrim exhibere, non omnino à ratione alienum puto.

XXXV. PHILIPPUS FIL.

JAm æreum ſecundæ magnitudinis exhibebimus, in quo caput Philippi filii, cum inſcript. M. IOY. ΦΙΛΙΠΠΟС ΚΑΙСΑΡ. In averſa parte ſtant tres figuræ muliebres, obverſis tergis junctæ, cum modiis aut turriculis in capite, quarum media, quæ totum exhibet vultum, facem alteram dextrâ gerit, alteram ſiniſtrâ: quæ dexterior eſt, ſerpentem dextrâ, lævâ clavim antiquæ for-

mæ : quæ ſiniſterior, dextrâ flagellum, lęvâ ſtimulum aut gladium. Earum ad pedes ab utraque parte canis. Inſcribitur, ANTIOXEΩN.



Teſtantur qui de rebus Indicis ſcripſerunt, à multis Indiæ populis non honoris causâ dęmones, ſed timoris, adorari, ne ipſis videlicet noceant. Idem de Ethnicis dici poteſt, qui olim pro Diis habebant Vejovem, Pavorem, Pallorem, & alia ejuſmodi terricula. Immo Febri uti Deę multas aras erexerunt Romani: &, ut ait Val. Maximus, Febrem ad minùs nocendum templis colebant. Quid de iis dicemus, qui Furiis divinos honores tribuerunt, ut à Romanis Græciſque factitatum? Earum certè fanum Athenis, Romæ lucum fuiſſe, à Tullio docemur. De earum templis, ſacriſque videndus Pauſanias, qui eas ait à Sicyoniis vocari εὐμενίδας, ab Athenienſibus σεμνὰς θεάς. quo minùs mirari debemus, à Tragico Poëta *ſceleris ultrices Deas* nuncupari. Tres ſorores conſtituuntur, Alecto, Tiſiphone, & Megæra. Illarum habitum deſcribit Strabo, qualem ferè refert nummus noſter,

lib 3. de Nat. Deor.
Corinth.
in Medea.

dum ait apud Caſſiteridas inſulas, homines furiis eſſe ſimiles, nempe colore fuſco, *tunicis ad talos demiſſis, cingulo pectus incinctis*, baculoſque manu geſtare. At in nummo noſtro terribilius quiddam baculis gerunt, nempe ſerpentes, tædas, flagella, ſtimulos, quibus plenæ Poëtarum, cùm de Furiis loquuntur, paginæ. De clavi, quam geſtat earum una, vix habeo quid dicam, niſi ſignificari fortè inferorum fores ab ea pro arbitrio claudi & reſerari. Canes ad earum pedes non abs re conſtituuntur: appoſitè enim confirmant eorum opinionem, qui eas aiunt apud inferos *Furias* dici & *Canes*, apud ſuperos *Diras* & *Aves*. Inter quos Servius ad illud Virgilii, *lib. 4. Geogr.*

Viſæque canes ululare per umbram, *Æneid. 6.*
Adventante Deâ:

Canes, *Furias* interpretatur. Cæterùm qua de cauſa Furias in Philippi junioris nummo cęlaverint Antiochenſes, haud ita facilè dictu eſt. Satiùs viſum fuiſſet eas apponere nummis Philippi patris, ultrices ſcilicet inſignis perfidiæ, quâ Gordianum Imperatorem innocentiſſimum interemerat.

AGmen claudent Imperatores duo, de numero eorum, quos Tyrannos nuncupamus; ut nullius generis veteres nummmos, quantùm ſuppeditat antiquaria noſtra ſupellex, præteriiſſe videamur. XXXVI. MARINUS

Prior nummus æreus eſt, primæ magnitudinis, & oſtentat caput nudum, ſenile, calvum, aquilæ volanti ſuperpoſitum, cum inſcript. ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ. In altera parte Roma galeata clypeo inſidet, levâ haſtæ puræ innixa, dextrâ aquilam tenens, cui inter alas expanſas impoſitæ ſunt icunculæ duæ: inſcribitur, ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC.



Similem à parte capitis nummum exhibuit Octavius Strada in Vitis Impp. ſed cum hoc diſcrimine in averſa, quòd pro Roma in noſtro ſedente, ſtantem exhibeat Palladem. Verùm nec iſtum edidiſſemus, niſi impuliſſet raritas, & quorumdam opinio, nummum Stradæ pro fictitio habentium. Ejus igitur ſinceritati ſuffragabitur hic noſter. At non multò, quàm ipſe, plura ſuper eo diſſeremus. Extant enim de Marino pauca apud Romanę hiſtorię ſcriptores, qui etiam quaſi ex incerto rumore aſſerunt, illum poſt Gordiani tertii obitum, regnantibus jam Philippis,

ab Illyrico aut Mœſico exercitu electum, cùm Sarmatico limiti prępoſitus eſſet, ut Romanam ditionem adversùs Scythas irrumpentes tueretur; tum à militibus ipſis rerum novarum cupidis interemptum, cùm jam Decius à Philippo miſſus adversùs Marinum, cum ingentibus copiis adventabat. Sed mirè torquet ſtudioſos noſtros illa conſecratio, & Divi nomen expreſſum in nummo. Qua de re nihil unquam à me, pręter meras conjecturas, auditum profiteor: quæ, quoniam in nummorum explicatione non omnino deſpiciuntur, ſuum hîc locum, uſque dum ab hiſtoria lux affulgeat major, obtineant. Dubitatur ſcilicet, an relatus inter Deos Marinus fuerit, à militibus ejus interempti pœnitentibus, & vindicem extimeſcentibus Philippum, qui poſt cęſum Marinum, etiam eos qui à partibus ipſius ſteterant, ad ſupplicium depoſcebat: an à Decio, qui ut reliquias fautorum Marini ſibi conciliaret, hac arte pręluſerit Imperio, ad quod ab exercitu Illyriciano aſſumptus & coactus dicitur. Aliquando etiam conſecrationem hanc Philippo ipſi tribuimus, ut à ſe Marianæ cędis invidiam in rebelles converteret. Quin & ipſius nutu cuſum hunc nummum, ex ſimili Philippi ipſius apud nos nummo, ſuſpicari licet; cujus nummi parti averſæ, Philippopolitæ ſimilem omnino typum & inſcri-

ptionem appoſuere, cum duabus iſtis icunculis. Dijudicent eruditi. Cæterùm Romam & aquilam in hoc nummo, nihil aliud niſi Romanum Imperium deſignare, mihi facilè perſuadeo.

XXXVII. SEBASTIANUS.

ALter nummus argenteus eſt, & parvulus, habens in anteriori parte caput conſerto ex gemmis cingulo redimitum, cum epigraphe, D. N. SEBASTIANVS P. F. AVG. In poſteriori ſedet figura muliebris, capite turrito, Romæ, ut opinor, dextrâ victoriolam tenens, cum inſcript. VICTORIA AVGG.



Rarus eſt ille inter Tyrannos Sebaſtianus in nummis, ſed multò in hiſtoriarum monumentis rarior; ex quibus vix didicimus fuiſſe illum fratrem Jovini, qui ſub ævum Honorii, Galliarum Imperium ſibi vindicavit: cum quo etiam à Conſtantio Nobiliſſimo Cæſare, ejuſdem Honorii auſpiciis, profligatus & interemptus eſt. Illum Oroſius ad hoc ſolum arma ſumpſiſſe ait, ut Tyrannus moreretur. *lib. 7. cap. 42.*

Quin

QUin & hîc locum inveniat Tyranni Baſiliſci ſoror, cujus ope ille Imperium Orientis invaſit. Ejus nummus aureus minutus, ſed rarus, exhibet caput fœminæ, cum inſcriptione, ÆL. VERINA AVG. In averſa videtur crux in corona laurea, cum notis CONOB. XXXVIII. VERINA.



Verina Imperatoris Leonis primi uxor, fratrem habuit Baſiliſcum, qui cùm claſſem mille navium, ipſius Leonis auſpiciis, adversùs Genſericum Vandalorum in Africa Regem eduxiſſet, ſive ignaviâ, ſive proditione, in fugam verſus eſt; ac deinde Conſtantinopolim reverſus, maledictis impetitus, cùm perfidiæ reus conclamaretur, omnes ſibi infenſos animadvertens, ad aſylum templorum confugit, & Verina ſorore liberatus, Perinthum amandatus eſt. Hæc Leone marito, quinquennio pòſt, vitâ functo, Leonis junioris patrem & tutorem Zenonem Iſauricum, generum ſuum, in adminiſtrando Imperio conſortem aſſumpſit. Sed intra annum mortuo etiam Leone ſecundo adhuc puero, cum Zenone qui Impe-

rium adeptus fuerat ipſa diſſidens, triennio elapſo Baſiliſcum fratrem ad Imperium evexit; adeò ut Zeno Imperator, Verinæ ſocrus ſuæ inſidiis circumventus, cum Ariadna uxore, ipſius Verinæ filia, Iſauriam versùs aufugerit, imperante interim per viginti menſes Baſiliſco cum Marco filio: donec Zeno exercitu amicorum ope comparato, Baſiliſcum ipſum viciſſim à ſuis proditum, in Cappadociam cum uxore & filiis amandavit, ubi trucidati omnes, ſeu ut alii autumant, igne & aquâ interdicti, fame & frigore perierunt. De Verinæ obitu nihil certi apud hiſtoriæ ſcriptores: ſed veriſimile eſt eâdem ruinâ involutam, niſi imperante fratre obierit. Quidam à Zenone in Ciliciam deportatam referunt, deinde in munitione quadam obiiſſe, quæ Papyrii nominata. Conſule Nicephorum Calliſti, atque Baronium, qui anno Chriſti ID. LXXIIII. eam laudatę pietatis fœminam aſſerit, ex Metaphraſte in Actis Matronę Pergenſis, VIII. Novemb. Typus nummi in averſa vulgaris.

XXXIX. P. VENTIDIUS.

APpendicis loco duos alios nummos, nuper mei juris factos, hîc exhibebo. Prior argenteus eſt denarius, & capiti tertio ſuperiùs inter Familias, quarum unam exhibet exquiſitę raritatis, inſerendus. Pręfert pars altera barbatum

caput M. Antonii Triumviri, cum lituo & inſcriptione mutila, M. ANT. IM... hoc eſt, *M. Antonius Imperator*. Altera pars figuram ſtantem incognitam, quę dexterâ haſtam geſtat, lęvâ pateram, cum inſcriptione, P. VENT.. PONT. IMP.



P. Ventidium, cujus nomine illuſtratur nummus noſter, nemo eſt qui neſciat captum bello ſociali adhuc puberem, & cum matre captiva in triumpho Pompeii Strabonis ductum; deinde jam adultum, equis meritoriis & vehiculis conducendis victum quæſiiſſe. Sed poſt illud fortunæ ludibrium, cùm ſub C. Cæſare Dictatore in Galliis militaſſet, per omnes honorum gradus evectus eſt. Senator & Tribunus plebis primò factus, & cùm M. Antonii partibus ſe addixiſſet, uno eodemque anno Prætor, Conſul, & Pontifex renuntiatus. Deinde Orientalibus provinciis prępoſitus, Parthos & Labienum devicit, ac Romanorum primus de iis triumphum egit. Demùm poſt obitum publico funere elatus fuit. Plura apud hiſtoriæ ſcriptores.

XL. TRAJANUS DECIUS.

POſterior nummus æreus eſt, & maximus, Trajani Decii capite percuſſus, cum inſcript. ΑΥΤ. Κ. Γ. Μ. ΚΥΙΝΤ. ΤΡΑΙΑΝ. ΔΕΚΙΟϹ ϹΕΒ. In averſa cernitur mulier amicta velo, divinitatis ſymbolo, infantulum lævâ ſuper genu retinens, in medio trium armatorum, quorum ope protegi videtur. Inſcribitur his notis, ΑΠΑΜΕΩΝ... ϹΤΡΑΤΟ...



Nummus hic, niſi eum malis ordine Imperii poſt Philippum Juniorem collocare, inter octavum & nonum Capitis IV. nummum reponendus eſt. Quippe quæ illic in Cretenſi nummo Trajani, de partu Cybeles diximus, mirè confirmat & explicat. Quis enim non videat viros illos tres, armis inſtructos, Curetes eſſe aut Corybantes, qui clypeorum & gladiorum colliſione & crepitu, Saturno puerperii notitiam præripiunt: unde poſtea originem duxit Enoplia ſeu Pyrrhicha ſaltatio,

quæ in honorem matris Deûm, & ſervati Jovis memoriam celebrabatur. Superſedemus igitur ampliori interpretationi, quâ ſuperiùs ſumus ad nummos illos utcumque defuncti. Cavendum enim profectò, ne ſuprà quàm aut probetur humanis lectoribus, aut inſtituti noſtri ratio poſtulet, libelli hujus moles excreſcat. Quòd ſi qui fortè prolixioris operæ cupidi, interpretationum noſtrarum exiguitatem, ne dicam ſterilitatem, improbent; meminerint ii quod jam inde ab initio profeſſus ſum, non hîc à me juſtos commentarios ſcribi, nec illuſtrandam deditâ operâ rem nummariam eſſe ſuſceptam; ſed promiſſa dumtaxat rariorum noſtrorum numiſmatum ectypa, quorum aſpectu, & noſtrâ, qualis ea cumque eſt, proluſione, ad uberiora quædam & decretoria de iis edenda judicia, ipſorum eruditionem & induſtriam provocarem.

EPISTOLARUM ARGUMENTA.

I. *Raph. Tricheti du Freſne ad P. Seguinum, de Nummo Catanenſi.*

II. *P. Seguini ad Raphaëlem Trichetum du Freſne, de Nummo Britannico.*

III. *P. Seguini Epiſtola ad Fr. Gottifredum, ſuper dubiis quibuſdam ad nummos Familiarum Romanarum Fulvii Urſini ſpectantibus.*

IV: *Octavii Falconerii de Nummo Apamenſi Deucalionei Diluvii typum exhibente Diſſertatio ad P. Seguinum.*

V. *Petri Seguini ad Octavium Falconerium Nummus Regius.*

VI. *P. Seguini Agathodæmon, ad Excellentiſſimum Virum Jo. Bapt. Colbertum, Regni Adminiſtrum.*

EPISTOLA
DE CHARONDÆ EFFIGIE
in Catanenſi Nummo expreſſa.

Clariſſimo & Eruditiſſimo Viro

PETRO SEGVINO,

D. Germani in Vrbe Antiſtiti,

RAPHAEL TRICHETUS DU FRESNE S. D.



QUEM mihi alterâ die ex tua locupletiſſima antiquitatum congerie nummum oſtendebas, Vir clariſſime, ad Catanenſes pertinere inſcriptio ſatis declarat, ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Sed mihi, fateor, negotii multum faceſſit barbati ſenis in antica nummi parte expreſſa imago: omnino enim volebam quis ille eſſet cognoſcere.

Et certè primo aſpectu ex naſo, qui ſimus; ex fronte, quæ depilis; ex oris facie, quæ invenuſta; Socratem Sileno ſimilem (ut illum in Sympoſio deſcribit Xenophon) vidiſſe putaveram. Sed quid Socrati cum Catanenſibus? Ad hæc mihi nummum attentiùs inſpicienti, cornigera ſenis illius facies apparuit. Quis autem Socrati cornua unquam aſſignaret? Similem ferè nummum dedit Paruta, inter Catanenſes ſuos numero ſecundum; niſi quòd viri effigies quernâ, ut videtur, coronâ redimita eſt. Si conjecturæ locus datur, expreſſam à Catanenſibus in hiſce nummis Charondæ effigiem crediderim. Hic Catanenſis fuit, & ſuâ ætate (floruit autem, ut notat Diodorus Siculus, circa Olympiadem LXXXIII.) ſapientiâ clarus, Pythagoræ olim ſectator, philoſophiam in vicinis magnæ Gręciæ urbibus docentis. Charondas autem non ſolùm civitati ſuæ leges ſcripſit, ſed & aliis Chalcidicis per Italiam civitatibus, ut legimus apud Ariſtotelem. Et certè apud Ælianum, præter Catanenſem, Rheginenſium etiam Rempublicam ab eo conſtitutam fuiſſe legimus, cùm patriâ aliquando pulſus apud illos exularet. Rhegium autem, ut Catanam, à Chalcidenſibus conditum ſcribunt Strabo & Heraclides in lib. de Politiis. Thurinis etiam, qui Rheginenſibus finitimi erant, jura dedit, ut notat Diodorus

lib. 12.

l. 2. Polit. cap. ult.

l b 3 var. hiſt. cap. 17.

Diodorus Siculus, unde Thurii nomen illi attributum apud Valerium Maximum: quem locum *lib. 6. c. 5.* malè legit Aldus Manuccius, qui in Commentariis ad librum Ciceronis de Legibus, Charondam Tyrium, & peſſimè Alexander ab Alexandro, qui Chartaginenſem fecit. Probabile igitur eſt, & veriſimile, Catanenſes, ut civis ſui de Republica optimè meriti memoriam conſervarent, nummos ſuos illius imagine obſignaſſe. Divinis enim propemodum honoribus Legiſlatores ſuos decorabat Antiquitas, illoſque vel Deos, vel Deis genitos reputabat. Sic Zaleucus Charondæ condiſcipulus, poſt Locrenſium urbem legibus munitam, ſub nomine Minervæ apud ipſos Locrenſes prudentiſſimus habitus eſt, ut ſcribit Valerius *lib. 1. c. 2.* Maximus. Divinum autem aliquid in Charonda denotant appicta capiti cornua, qualia & Jovem Hammonem, & alios, quos potentia Deos fecit, geſtare videmus. Cornu enim potentiæ ſymbolum fuiſſe norunt omnes. Quid verò legibus potentius? In altera nummi parte ſceptrum alatum, promptam & velocem eloquentiæ vim ſignificat, quâ olim uſus Mercurius, qui

—— feros cultus hominum recentum
Voce formavit.

Verba autem alata appellavit Homerus: unde & *1. Odyſſ. v 122* alatam Mercurio virgam dedit Antiquitas, quæ

& priſcos Legiſlatores Mercurio aſſimilavit, ut
lib. 9. Moyſem, quem Artabanus, apud Euſebium de Præparatione Evangelica, Mercurium ab Ægyptiis vocatum fuiſſe dicit. Quem Moyſem cornutum quoque fuiſſe notant & deſignant Paginæ ſacræ, ſi bene ſanctus Hieronymus, quæ Hebraïcè in Exodo legerat, Latina fecit: aliter enim loquuntur ſeptuaginta Interpretes. Pateras ex utraque caducei parte effictas, ad religionem pertinere (quæ politices ferè ſemper pars fuit) tritius eſt quàm ut demonſtratione indigeat. De Charonda hoc unum addam, quòd illius ſepulcrum ex marmore Catanæ inventum fuit juxta ædem D. Agathæ, circa principium ſęculi prętereiti, ut notat
lib. 3. cap. 1. Fazellus in Hiſtoria Sicula, cum arca ſtannea, in qua oſſa ejus recondita erant: nec monumento deerat inſcriptio. Sed hoc tandem noſtra ætate ante annos circiter triginta per ſummam incuriam, vel potiùs injûriam, demolitum fuiſſe tradunt ultimi rerum Sicularum ſcriptores. Et hæc ſunt, ORNATISSIME SEGUINE, mea criteria. Tu judex eſto & arbiter, pro munere quo fungeris in ſummo rei antiquariæ tribunali. Ex Bibliotheca noſtra.

PETRI SEGUINI


Ad Clariſſ. & Eruditiſſ. Virum

RAPH. TRICHETUM DU FRESNE

EPISTOLA

DE NVMMO BRITANNICO.

LICEAT mihi apud te, ERUDITISSIME TRICHETE, unâ aut alterâ pagellâ ludere in re antiquaria, & doctiſſimam illam ac ſeriam epiſtolam tuam, quâ me dignatus es ſub titulo Charondæ, his anni primordiis hoc ludicro veluti compenſare. Nummus eſt mihi plumbeus, magnitudine denarii Romani argentei, pondere tantillum majori, antiquus citra omnem dubitationem, cujus ſpeciem tibi exhibere volui.



Ab unâ parte coronam vides, ab altera digamma, cui inſitus eſt palmæ ramus cum hiſce notis, IO. SAT. IO. Fateor, ut ad familias Romanas & nummos Conſulares ſum propenſior, me illum primo intuitu retuliſſe ad C. Sentium Saturninum, qui Conſul fuit anno Urbis conditæ DCCXXXIIII. Nec certè pluribus literis quàm his tribus, SAT. Saturnini cognomen expreſſit Fulv. Urſinus in ultimo Sentiæ Familiæ nummo. Sed adhibitâ diligentiori meditatione, animadverti me aberraſſe à ſcopo; & ad inferiora tempora me demittens, ſub imperio Ti. Claudii cuſum fuiſſe hunc nummum, omnino mihi perſuaſi. Ac primò conſtat graviſſimorum virorum autoritate, Claudium, quamvis in adminiſtrando Imperio, immo & privata domo, ſtolidiſſimum, tamen reperiſſe tres literas, quas reliquis jam inventis adjecit: atque inter eas præcipuè numerari digamma, facie literæ F inverſæ, ut in hoc

lib 5. cap. 41. nummo cernitur. De tribus literis teſtatur Suetonius his verbis: *Novas etiam commentus eſt literas tres, ac numero veterum quaſi maximè neceſſarias addidit, de quarum ratione cùm privatus adhuc volumen edidiſſet, mox princeps non difficulter obtinuit, ut in uſu quoque promiſcuo eſſent.* Sed &

lib. 11. Annal. Cornelius Tacitus idem affirmat, poſtquam de literarum inventoribus prolocutus eſt. *Claudius,*

inquit, *tres literas adjecit, quæ uſui imperitante eo, pòſt obliteratæ, aſpiciuntur etiamnunc in ære publicandis plebiſcitis per fora & templa fixo.* At verò de digamma ſolo Quintilianus ait, non inutiliter Claudium Æolicam illam Ⅎ ad uſus literarum adjeciſſe. Quin & doctiſſimi viri Lipſius & Torrentius fatentur, illud digamma in vetuſtis ævi Claudiani marmoribus paſſim occurrere, ut *pomœrium terminaℲit ampliaℲitque.* Sic, *OctaℲia DiℲi Auguſti, XV. Ⅎ I R.* pro *Octavia Divi Auguſti XV. VIR.* & ſimilia. Cùm igitur digamma ſolis Claudii temporibus viguerit, & eo per boletum ſublato deſierit eſſe in uſu, ut patet ex Tacito; atque etiam in inſcriptionibus ipſo imperante exaratis, quæ hucuſque remanſerunt, reperiatur: exiſtimo & nummum noſtrum eo imperitante cuſum fuiſſe. Hoc ut libentiùs credam adducunt me reliqua, quæ in utraque ipſius nummi parte inſculpta cernuntur: nimirum corona, palma, & notæ IO. SAT. IO. quorum omnium argumenta ad ſolius Claudii tempora, & res in iis geſtas referri poſſe arbitror. Ac primùm notas illas, IO. SAT. IO. ſic explico, IO SATVRNALIA IO. Auctor mihi & fundus eſt Dio, ex quo, niſi me fallit animus, conjecturam meam eruditis approbabo. Expeditionem adversùs Britannos Claudius impulſu cujuſdam extorris ſuſceperat: ſed

Lib. 1. cap. 13.

Lib. 60.

cùm exercitus Gallici, quos in Inſulam præire juſſerat, abnuerent, indignè ferentes ſe in alterum velut orbem amandari, & cunctatione ſua commodum belli tempus tererent; Claudius adhuc in Urbe commorans, rei certior factus, Narciſſum libertum, cujus gratia apud Imperatorem ſemper fuit maxima, ad eos miſit. Ille receptus intra caſtra, legati tribunal auſus eſt conſcendere, ut milites alloqueretur: ſed indignati, ejuſmodi homuncionem munera Imperatoris obire & uſurpare, in riſum & cachinnos effuſi conclamaverunt, *Io Saturnalia Io:* & Narciſſum averſantes, ad A. Plautium legatum converſi, in Inſulam trajecere. Nemo neſcit, in feſtis Saturnalibus, quæ per aliquot dies menſe Decembri agebantur, Romæ Equites, immo & Senatores, abjectâ togâ, ſolitos ſyntheſim induere (id brevis & ſervilis veſtis genus) ac ſervis accumbentibus & epulantibus miniſtrare, cùm interim togas induerent iſti, & in omnibus dominorum vices gererent. Ita jocus ille militaris, quo Narciſſi exploditur audacia, & carpitur incuria Claudii, qui libertorum mancipium audiebat, in hoc nummo expreſſus videtur poſt adeptam victoriam: quod convenit cùm antiquo Reipublicæ more, quo in triumphis milites Imperatori victori & triumphanti ſolebant per ſales & facetias illudere. Pal-

mam & coronam ad victoriam pertinere, clarius eſt quàm ut explicatione indigeat: ſed illam eſſe Britannicam perſuadent omnino ſupradicta. Et certè Claudius ipſe, qui auditis ſuorum rebus egregiè geſtis, Româ advenerat, ut huic bello præſens aliquam gloriolæ partem captaret: poſt devictos Britannos tanti fecit hanc victoriam, ut quamvis dies non ampliùs ſexdecim in Britannia egiſſet, præter nomen imperatorium in exercitu vetuſto more ſumptum, etiam Britannici nomen acceperit, Senatuſque ei decreverit triumphum, ludos annuos, & arcum trophæa ferentem in Urbe, aliumque in Gallia, unde in Britanniam ſolverat; & ipſe poſt peractum magnificentiſſimè triumphum, etiam Conſularibus ac Senatoribus qui ei in hac militia affuiſſent, triumphalia inſignia conceſſerit. Ut mirum videri non debeat, ſi in tanta & tam communi omnium alacritate, etiam palmæ & coronæ nummis inſculptæ ſint: quemadmodum & in aliis cujuſcumque metalli, arcus hujuſmodi cum trophæis & ſtatuis equeſtribus deſcriptos habemus. Sed ut ex omni parte conſtet, nummum noſtrum ritè Britannicum vocari, & in ea Inſula plures cudi ſolitos plumbeos, (quamvis alii velint eſſe ſtanneos) memini me vidiſſe Pariſiis apud noſtram Aδελφῶ Anglicanam, Suſannam Lavalliam, nummum ejuſdem ponde-

ris & metalli, cujus anteriori in parte caput Carauſii, (quem in Britannia dominatum fuiſſe norunt omnes) cum averſa rariſſima hiſce verbis concepta, EXPECTATE VENI. Sed & alterum poſſidet illuſtriſſimus Sevius, vir omni laude major, ſimilem pondere & metallo, qui Neronis caput præ ſe fert: in altera verò parte figuram ſtantem, cum verbulo non toto, PAVLLIN. quod innuit indubitanter illuſtrem ævo illo Suetonium Paullinum, qui in eadem Inſula Neronis legatus, ſæpius adversùs Britannos depugnavit: & famoſam illam Reginam Bunduicam, quæ octoginta Romanorum & ſociorum millia trucidaverat, cùm ducentis hominum millibus fudit. Pauca hæc tibi, VIR CLARISSIME, à te provocatus repono; quæ tu velim accipias, quaſi ſpecimen aut potiùs pignus majorum in ſelecta Muſei noſtri numiſmata meditationum, quas à me jampridem amiciſſimis conviciis exigere non ceſſas.

PETRI

PETRI SEGUINI EPISTOLA

Super dubiis quibuſdam ad nummos Familiarum Romanarum Fulv. Urſini ſpectantibus.

Ad Illuſtriſſ. & Eruditiſſ. Virum

FRANCISC. GOTTIFREDUM

Equitem Romanum.

TANTI faciunt ſtudioſi omnes tibi innoteſcere, aut per te cæteris, VIR ILLUSTRISSIME, ut revocata jam videantur heroïca illa doctrinarum tempora, quibus ſi quis eruditione aut ſapientiâ præ cæteris inſignis erat, ejus viſendi ſtudio litterarum amantes omnes, ad extremos uſque terrarum fines properabant. Ut enim Pythagoras, Memphiticos vates; Plato, Ægyptum & Archytam Tarentinum; Apollonius, Brachmanas & Gymnoſophiſtas inviſerunt; ut ad T. Livium ab ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus acceſſiſſe quoſdam nobiles legimus, & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat,

unius hominis fama perduxit : ita & hoc ævo ex univerſis terræ partibus, ad ædes tuas concurritur ab omnibus, quotquot antiquitatis ſtudio tenentur, qui Romam contendunt, ut eruditionis tuæ fructus uberiores percipiant. Quidni? ſi & Regium illud Sidus orbis Chriſtiani, quod nunc Urbem illuſtrat, CHRISTINA, inquam, illa incomparabilis, quamprimùm te inter primores nobiles Romanos, ſibi advenienti occurrentes conſpexit, commota tui nominis famâ, quam præſens augebas, honorificentiſſimè compellavit, & te ſelegit unum, à quo Romanæ antiquitatis arcana cognoſceret. Quo conſilio & muſeum tuum adiit ſępius, ut congeriem illam veterum numiſmatum totius Europæ primariam inviſeret, & te ſuper his diſſertantem audiret, probaret, miraretur.

Hujus tuæ eruditionis fruendæ gratiâ, VIR ILLUSTRISSIME, dicam lubens, Romam ſum profectus: & qui olim ſolo peregrinandi animo vix adoleſcens illud iter aggreſſus fueram, ſeptem abhinc annis, jam ſeni vicinus, iterum emenſus ſum, tui famâ nominis evocatus. Quàm felicibus auſpiciis, quàm fauſto ſucceſſu, quàm comiter à te exceptus ſim, quàm liberaliter habitus, ędicere non opis eſt noſtræ. Hinc mihi novus Romanæ antiquitatis amor increvit, quam vix

olim delibare contigerat. Inde ſeries nummorum Imperialium, cujuſcumque magnitudinis & metalli, congeſſi, te manu quaſi ducente, & tuis informante pręceptis ac conſiliis, ſive in comparandis genuinis & ſinceris, ſive in explodendis fictitiis, & rarioribus dignoſcendis. Sed tibi præſertim debere me profiteor ſeriem Familiarum Romanarum non ignobilem, quippe qui me impuliſti ad colligendos earum nummos, quos Conſulares appellant multi, de quibus Fulvius Urſinus præclarum illud & immortalitate dignum opus conſcripſit. Quod te duce feliciter adeò conſecutus ſum, ut omnium familiarum, centum ſexaginta quatuor numero, quas in lucem edidit, cùm ſola mihi deſit Horatia, & ſpes illius recuperandæ non deſit: atque adeò plures ſeptingentis quadraginta Fulvianis nummis poſſideam; pręter ducentos quinquaginta abſimiles, quorum ne meminit quidem: in quibus tamen dignoſcuntur viginti familiæ, quas non recenſuit, omnes archetypos & indubitatæ vetuſtatis. Illorum præcipuè meditationi ut incumberem, hortatus es: quod ut pręſtarem, cùm primùm Lutetiam Pariſiorum reverſus ſum, meque tuis auxiliis deſtitutum ſenſi, ad eundem Urſinum confugi, quem in rebus ſanè reconditis, mihique priùs incognitis, ducem me ſecutum profiteor. Neque tamen

ita me illi obnoxium credidi, ut alia identidem ſentire non liceret. Ut enim in antiquis oraculis ſæpius duplex ſenſus, immo & contrarius occurrebat: ita & in veterum nummorum inſcriptionibus multa viſuntur, quæ multiplicem patiuntur ut lectionem, ita & explicationem; tum propter vetuſtatis injuriam, prȩſertim in æreis, in quibus rubigo novas & fictitias literas videtur inducere prioribus corraſis; tum quòd creſcente in dies conquirendi ſtudio, reperiantur alii ſimilis quidem fabricæ, ſed elegantioris, aut magis integræ, qui novam lucem afferunt; tandem quòd è terræ viſceribus eruantur quotidie alii nuſquam viſi, qui conjecturas priores, quibus ſæpe nititur numiſmatologia, ad veriorem & ſolidiorem ſenſum reducunt. Exemplo nobis erit unus idem Urſinus, qui cùm in commentario Familiæ Seſtiæ affirmet Familiam Sextiam, per literam X, in nummis nuſquam reperiri: nihilominus inter Illuſtrium imagines petitas ex ipſiuſmet Urſini Bibliotheca, quas prȩlo dedit Antuerpiæ Theodorus Gallæus cum notis Jo. Fabri, nummus exhibetur in Appendice ſub litera H, cum capite P. Cornelii Scipionis Naſicæ, in cujus averſa parte,
pag. 55. ut videre eſt in Commentario, Ædilis inſcribitur C. Sextius, adnotatâ etiam per ipſum Fabrum familiarum differentiâ, quòd Seſtia, patritia fuerit;

Sextia, plebeia. Nimirum poſt editas à Fulvio Urſino Familias Romanas, prodiit, ut veriſimile eſt, nuper repertus nummus ille rariſſimus, cui ſimilem inter ęreos meos mediæ magnitudinis annumero.

Quæ in inſcriptionibus difficultas, eadem in capitibus virorum illuſtrium dignoſcendis contingit; tum vitio ſculptorum aut monetariorum, qui minori arte & curâ nummos procuderunt; tum quòd ævi longinqua vetuſtas tantùm valuit mutare, cum maximo dolore Antiquariorum, qui Heroum & ſummorum Ducum ora ſincera, poſt res tam pręclarè geſtas, præ manibus habere geſtiunt. De veteribus igitur nummis diſſertatio, ut dixi, ſæpius conjecturâ niti cogitur, & plurima tractare, quæ in utramque partem agitari ancipiti probabilitate poſſunt; plurima, quæ hominum ingenia exerceant, eaque honeſtiſſimis excitent contentionibus, nec irritent, dummodo ſolius veritatis indagandæ causâ, vel honeſtæ occupationis & animi levandi gratiâ, in medium adducantur; non livore & animo detrahendi famæ ſummorum virorum, qui ſuperioribus temporibus antiquitati ſtuduerunt, & primi in hoc aperiendo campo operam ſuam utiliter impenderunt.

Hoc impulſus ſtudio, ſed paratus imprimis de

controverſiis omnibus, in decretis tuis tanquam oraculis acquieſcere, VIR ERUDITISSIME, ſuper dubiis quibuſdam ad F. Urſini Familias, & præcipuè Pompeiam ſpectantibus, te conſultum volui. Quippe inter alia diutius ferre non poſſum, Cnæum Pompeium Magnum, cujus egregia facinora miratur orbis terrarum, cujus fama & magnitudo rerum geſtarum ignota eſt nemini, ignoto vel ſanè incerto adhuc vultu in manibus noſtris verſari, quamvis plurimis nummis inſculptus ſit. Jam ab antecedentibus annis cœperat hæc moveri controverſia, ut patet ex Fulvio noſtro in Commentario ad Familiam Pompeiam. Sed memini, dum Florentiæ verſarer, ſubortam denuò aliquam ſuper hac re diſceptationem, inter antiquitatis ſtudioſos, quorum primas tenebat amicus noſter Petrus Fittonus, Anglus, Cimeliarcha Sereniſſimi Leopoldi, Magni Ducis Etruriæ fratris, quem rerum elegantiorum ſtudio peræquè ac ſanguine Principem unicè colis. Nimirum aiebat vir probus, & in re nummaria verſatiſſimus, quem mors inopina ſummo eruditorum luctu nobis eripuit, in plurimis nummis argenteis Familiarum Urſini, ſeu præcipuè Minatiæ & Naſidiæ, impreſſam eſſe faciem Cn. Pompeii Magni, ſed à multis non agnoſci, immo à quibuſdam confundi cum capite Sexti Pompeii filii.

Ex illo curioſiùs in hanc rem inquirere aliquoties volui; & à partibus ejus ſtare eò lubentiùs cœpi, quòd Plutarchus aliquam nobis Pompeiani vultus, cum prędictis familiarum nummis ſimilitudinem indicare videtur. Gravis ſiquidem ille Hiſtoricus, ſuorum Illuſtrium ora & habitum ſolet deſcribere, ut ex eorum delineatione aliquam ſeu virtutum, ſeu vitiorum quaſi imaginem exhibeat. Poſtquam igitur de ortu & natalibus Heroïs noſtri quædam pręlibavit, duplicem notam Pompeiani vultus adſignat. Ac primò refert, illum ab adoleſcentia tanto decore & vigore vultus extitiſſe, ut Alexandro Magno ſimilis eſſe vulgò exiſtimaretur: deinde capillitium ſenſim & paulatim aſſurgens prętuliſſe: ἦν δέ τις καὶ ἀναστολὴ τῆς κόμης ἀτρέμα; quod interpres vertit, *jam modicè ſurrecta coma.* Et noviſſimè expreſſit Comment. in Numiſmata Ducis Arſchotani Antuerpiæ, his duobus verſibus, quorum autorem reticuit:

in Pompeio.

Tabulas in Pompeio.

Ille, hircâ cui ſubrigitur coma fronte, decorum
Et gratum terris, Magnus, caput.

Quod ad vultus juvenilis decorem, & Alexandri Magni lineamenta attinet, nequaquam in nummis Pompeianis agnoſci poſſunt; cùm omnes qui Pompeii vultu inſigniti ſunt, poſt ipſum occiſum percuſſos fuiſſe oporteat. Nemo enim neſcit ſtante & vigente Republicâ, civi Romano, quan-

tæcunque ille dignitatis eſſet, non licuiſſe monetæ vultum ſuum imprimere dum viveret; ac ſi cujus illuſtris vel de Republica benemeriti facies in nummis viſitur, id à poſteris ejus, vel à monetariis inferiorum temporum eſſe factitatum, ut qui familiarum ſuarum decora omnibus nota eſſe vellent. Et certum eſt, inter præcipuos & inſolitos honores C. Jul. Cæſari Dictatori decretos, conſtitutum fuiſſe, ut pecunia ipſius vultu ſignaretùr. Quòd ſi qui fortè exiſtiment, amicos Pompeii, vultum ipſius viventis pecuniæ impreſſiſſe, ut contigit Cęſari: primùm ægrè id de Pompeio perſuadebunt, qui & foveret Rempublicam, & populi libertatem tueri ſe profiteretur. Deinde quâ tandem id ætate Pompeii factum, ſi unquam factum eſt? Certè cùm arma S. P. Q. R. moveret adversùs Cæſarem, quo tempore quinquaginta & octo natus annos, quî referre de vultu Alexandrum Macedonem potuit, anno ætatis trigeſimo tertio è vivis ſublatum? neque enim ſexagenario ferè Pompeio eum tribuiſſent nummi vultum, quo in adoleſcentia aut juventute conſpicuus fuerat, ſed illum à ſenectute venerabilem, qui tunc omnibus notus erat. Etenim ſculptores pictoreſve, cùm alicujus ducunt effigiem, præteriri temporis rationem non habent, ſed præſentis: ne, ſi conferatur cum prototypo, minùs

minùs convenire videatur. Id etiam obſervant, cùm mortui cujuſque exprimunt imaginem, ut eam referant formam, quæ præ ſe ferebat extrema vita; ut faciliùs agnoſcantur, quorum memoria recentior. Nullus igitur monetarius ad juvenilis & anteactę vitę Pompeii tempora recurriſſe putandus eſt, cùm nummos ipſius jam mortui vultu percuſſit: ac proinde requirenda in iis illa Pompeii & Alexandri ſimilitudo non eſt, de qua ne Plutarchus quidem ipſe vulgi opinioni ſubſcribit.

Jam verò ſecunda nota capillitii modicè aſſurgentis in ſumma fronte, Sole clarior in Pompeianis nummis apparet. Facilè hic aliquos eorum expreſſiſſem ad ſupplendos defectus ectyporum, qui nobis exhibentur in vulgatis codicibus, niſi ſuſpicionem vitare vellem, me ad mentem meam confictos appoſuiſſe. Sed appello eruditorum fidem, qui aliquos Pompeii nummos poſſident, & pręſertim familiæ Minatiæ, de qua nullus dubitare poteſt, quin duo argentei in ea recenſiti, ad Cn. Pompeium Magnum pertineant: tum quòd in iis nihil ſit prorſus, quod ad Sextum referri poſſit: tum etiam quòd Cnæi pręnomen in iis expreſſum ſit. Tertium ejuſdem familiæ Minatiæ argenteum habeo, ab Urſino prætermiſſum, cum

eodem capite & inſcriptione Cn. atque averſa parte diverſum à duobus Urſinianis. Equidem ut nihil intentatum reliqui, ad acquirendos quoſque nummos Pompeii patris vultum exhibentes, pro mea in magnum virum neſcio qua propenſione, nullus eorum me præteriit, qui memorantur à Fulvio etiam in Familia Pompeia, nec primus aureus, nec reliqui omnes, quos ſummâ curâ atque etiam expensâ conquiſitos, majori diligentiâ diſcuſſi, & cum duobus familiæ Minatiæ nummis collatos, per omnia ſimiles reperi. In omnibus, inquam, capite Pompeii inſignitis, notam illam capillitii aſſurgentis, à Plutarcho memoratam, deprehendi; niſi quòd undecimi argentei minùs affabre cuſum caput, de eo ſolo dubitare aliquantulùm impellit, propter imperitiam monetarii. Sed in cęteris præſertim argenteis, vetulus ille vultus, frons rugis pluribus quaſi ſulcis exarata, genæ diductæ & concavæ, indubitanter ſpeciem præ ſe ferunt viri ſenioris, & ferè ſexagenarii; non verò juvenis, qualis erat Sextus tum, cùm anno ætatis quadrageſimo à M. Titio interemptus eſt.

At quoniam pręcipua controverſia eſt de primo illo rariſſimo & exquiſitiſſimo aureo, tribus capitibus Cn. Pompeii & filiorum inſignito; au-

ſim affirmare, cum ſolum plurimùm conferre ad litem componendam. Qua parte enim unicum viſitur caput, quod vulgò Cnæi patris ęſtimatur, nulla hîc ἀνάστολὴ τῆς κόμης. Crines enim illius promiſſi, & in frontem ſunt caduci: tantùm abeſt ut ſint arrecti, & velut ab ipſa fronte revulſi, quales videre licet in familiæ Minatiæ nummis, immo & in altero duorum minorum capitum, quæ in averſa parte hujuſce aurei ſunt inſculpta, videlicet in eo quod dextram occupat. Illud enim eſſe Pompeii patris exiſtimo, ex adverſo filii natu majoris, tum propter cincinnum illum capillitii modicè aſſurgentis, qui in integris & affabre cuſis nummis, qualis eſt à Plutarcho deſcriptus, dignoſcitur: tum propter rugas in fronte apparentes, & genas concavas, quæ in vultu etiam minuto & compendioſo ſenilem patris ætatem referunt, nec florenti filii ætati conveniunt. Neque verò vultum illum unicum anterioris partis hujus nummi ex eo quis argumentetur eſſe Pompeii patris, quòd ſit junior, & majorem Alexandri ſimilitudinem exprimat. Nam præterquam quòd barbatus eſt, quod nuſquam vidimus in nummis aut ſtatuis Alexandri; in eo cernitur neſcio quid rude, agreſte, ac conſonum moribus Sexti, qualis deſcribitur à Paterculo, *Adoleſcens* lib. 2.

ſtudiis rudis, *ſermone barbarus*; quod multùm abeſt à forma Alexandri, & comitate Pompeii patris. Deinde circumſcriptus cernitur coronâ quercеâ, ut fatetur Urſinus ipſe: ideoque exiſtimandum non eſt cum Fulvio, expreſſam eſſe in hoc aureo nummo coronam lauream, quam Senatus Pompeio patri conceſſerat, feſtis ſolemnibus geſtandam; ſed potiùs querceam, quam ob cives ſervatos, ut loquar cum nummis, Sextus Pompeius meruerat. Siquidem Sextus in proſcriptos à Triumviris plurima pietatis officia exercuerat, cùm ſubmiſſis ad Italiæ littora navibus, profugorum eſſet perfugium, receptoſque benignè, liberaliter & honorificè haberet, ac demùm compoſito fœdere cum Antonio & Cęſare Octaviano, plurimos patriæ reſtitueret, inter quos fuere Claudius Nero vir Liviæ, & M. Titius, qui poſtea ipſummet Sextum interfecit. Unde & fieri poteſt, ut etiam ejus beneficii in cives & magnates Romanos impenſi gratiâ, Sextus, *Pius* appellatus fuerit. Scio illud fortaſſis aſſumpſiſſe cognomen ob pietatem in Cnæum patrem, cujus vindicandi causâ arma ſumpſerat: quod innuit apud Urſinum ſeptimus familiæ Pompeiæ nummus, in quo videre eſt antiquum illud monumentum pietatis filiorum in parentes, ſub ſymbolo duorum

fratrum Catanenſium Amphinomi & Anapiæ. Equidem in prȩlio Mundenſi, in quo Pompeii juvenes à Cȩſare Dictatore fuſi & profligati ſunt, Pompeianis partibus pro teſſera PIETAS fuit : ſed nil obſtat quominus duplici titulo *Pii* nomine donatus fuerit, & propter obſervantiam in patrem, & propter charitatem in patriam & cives ſuos. At certum eſt, coronam querceam, ſervati civis fuiſſe notam & prȩmium honorarium, ideoque civicam appellatam : ac proinde corona in illo aureo expreſſa, nullo modo caput Pompeii patris deſignat, nec ad ipſum pertinet, (quippe nec eſt laurea, qualis fuerat illi decreta) ſed ad Sextum filium, qui quernam illam meruerat.

Inſcriptiones autem & ſigna Pontificatus vel Auguratus, & alia quibus Fulvius ſuam de vultu Sexti in denariis argenteis vult ſtabilire ſententiam, nihil efficiunt ; cùm vel ipſo fatente Fulvio Urſino, loquens M. Tullius de Sexti *Philipp.* 5.
Pompeii auguratu, vocet paternum auguratus locum. Ex quo intelligitur Augurem quoque fuiſſe Pompeium patrem, ac proinde lituo Pompeii nummo appoſito, æquè patrem ac filium poſſe deſignari. Fac autem deſtitutum me hoc prȩſidio, neque ad Pompeium Magnum perti-

ſentare videtur. Sidus verò Julium videmus æquê ac in nummis Sanquinii, impoſitum capiti Auguſti, in averſa parte aurei Tiberii Imperatoris, cum inſcriptione, DIVOS AVGVST. DIVI F.

Sed & viſuntur alii nummi cum capite Auguſti, quorum utraque in parte nulla ipſius, ſed alterius cujuſpiam fit mentio. Teſtis Hubertus Goltzius, qui in Auguſti numiſmatis æreum Grecum in ipſius honorem à Cęſareenſibus percuſſum exhibet, cujus anteriori in parte caput Auguſti prenotat, cum inſcriptione, ΟΥΗΔΙΟΣ ΠΟΛΛΙΩΝ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. in averſa verò templum cum verbis, ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΠΑΡΡΑΣΙΟΥ. At non exiſtimatur vulgò caput illud eſſe Vedii Pollionis, cujus nomen in nummo, ſi fides Goltzio, qui equeſtris quidem ordinis fuit, ſed libertini generis: quem etiamſi viventem inter amicos adhibuit Auguſtus, ipſi tamen mortuo nullum honorem haberi voluit, immo & ædes ipſius, ut refert Nonnius ex Dione, ne quod ejus monumentum extaret, diruit, porticumque ſuperextruxit Liviæ nomine. Quòd ſi in propria cauſa teſtis eſſe poſſim, eſt mihi nummus æreus ſecundæ magnitudinis, in quo caput Auguſti, cum inſcriptione, L. POL. MÆVIVS. pars

Tab. 74 num. 25. & 24.

averſa ſimilis eſt quarto nummo familiæ Petroniæ, in qua viſitur aſtrum inter falcatæ Lunæ cornua, ſine ulla Auguſti mentione: nec tamen quis exiſtimet caput eſſe L. Mævii Pollionis, viri incogniti.

Non hîc recenſeo plures nummos capite C. Julii Cęſaris inſignitos, in quibus nulla prorſus ipſius inſcriptio, ſed tantùm Triumvirorum Monetalium, aut aliorum Magiſtratuum, familiarum Flaminiæ, Livineiæ, Muſſidiæ, Semproniæ, Voconiæ. Non eos, in quibus caput M. Lepidi, cum inſcriptione *Sepulliæ* & *Vibiæ*: non alios cum capite M. Antonii, & nomine *C. Soſii* ipſius legati; in quibus omnibus nuda illuſtrium virorum capita reperiuntur cum nominibus Magiſtratuum. Mitto, inquam, hos omnes, quia inſcriptiones non apponuntur capitibus in anteriori parte, ſed in averſa tantùm: & ſatis ſuperque ex præmiſſis exemplis & rationibus demonſtratum eſt, reperiri poſſe caput Cn. Pompeii Magni cum inſcriptionibus & monumentis ad Sextum filium ſpectantibus: vel ſi eſſent aliqua, quæ ad Sextum unum pertinere conſtaret. Unum addam circa nummum Naſidiæ familiæ, nomen Neptuni appoſitum capiti in eo expreſſo, cum delphino & tridente, poſſe innuere,

illud

illud eſſe Pompeii patris, ex notis & ſimilitudine tertii familiæ Pompeiæ nummi, qui in honorem ipſius cuſus eſt à M. Terentio Varrone Proquæſtore, cum ſceptro, aquila, & eodem delphino, ad indicandum maris imperium Pompeio Magno delatum, cùm adversùs piratas Proconſulari poteſtate miſſus eſt, ut docet ipſe Urſinus. Mirum igitur non eſt, ſi Sextus alludens ad maritimum illud patris imperium, & celerem felicitatem, quâ bellum illud confecerat vigente Republicâ, eum colat tanquam Neptunum alterum; cujus etiam veluti tutelæ acceptos ferat felices eventus rerum ſecundarum in mari Siculo, tum cùm claſſis Auguſtęa tempeſtatibus quaſſata fuit & disjecta.

Atque ut proſequar alios quoſdam ſcrupulos, qui mihi ſuborti ſunt in iiſdem evolvendis Fulvii Urſini Commentariis; ad unum vel alterum Corneliæ familiæ nummum, ſi tua id ferat humanitas, VIR ILLUSTRISSIME, me convertam. Unus eſt XV. ejus familiæ, in quo caput diademate cinctum viſitur, cum verbo, FEELIX: quod eſſe Fauſti filii Sullæ, aſſerit Urſinus. Scio Jo. Fabrum, in Commentar. ad imagines Illuſtrium Urſini, ejuſdem eſſe ſententiæ; & cauſam hujus ornamenti regii ex eo pe-

tere, quòd Fauſtus ſub Pompeio Magnò militans, diadema quoddam ex ſpoliis Mithridaticis, poſt victoriam adeptus fuerit. Sed cur civis Romanus capiti ſuo imponat inſigne illud regium, Reipublicæ adhuc vigenti intolerandum? cùm pater ipſius, etiam in ſumma poteſtate, vitandæ invidiæ causâ Dictaturam depoſuerit. Quin potiùs diadema in averſa parte nummi, memoriæ ergo poſuiſſet Fauſtus, ſicut videmus quatuor coronas in quinto denario tabulæ præcedentis, ad indicandas Sullæ victorias: ſi tamen honori Fauſti verti poſſet ſpolium illud, non hoſti ereptum in pugna, ſed à Caio quodam Mithridatis collactaneo acceptum, qui ſuffuratus illud fuerat è gazophylacio Regis demortui; cujus facti poſtea Phraati filio pœnas dedit. Liceat igitur pace eruditorum virorum ſuſpicari, caput illud denarii XV. eſſe Jugurthæ Regis: prorſus enim Africanum, barbaricum & Βασιλικὸν eſſe videtur. Notum omnibus eſt quid Sullæ cum Jugurtha fuerit; & deſcripta eſt certè rei geſtæ ſumma in XVI. denario, & in quo infelix ille Numida, Sullæ à Boccho ſocero vinctus traditur, cum eadem epigraphe, FEELIX. Cur non ergo caput ſolum Jugurthæ reponatur in XV. nummo, cùm integra & magis explicita

Plutarchus in Pompeio.

hiſtoria cuſa ſit in XVI. pręſertim cùm utriuſque nummi ſimilis inſcriptio rem unam eandemque ſignare videatur, & illud Sullæ cognomen, FEELIX, æquè apponatur in XV. denario, capiti illi de quo eſt controverſia, atque appoſitum eſt toti hiſtoriæ Jugurthæ in XVI. Sententiæ noſtræ ante annos aliquot Gandavi, ſuffragabatur nobiliſſimus, & rei antiquariæ peritiſſimus, Valcurius Schinkelius, qui inter plurimos exquiſitæ raritatis & vetuſtatis nummos, huic noſtro ſimilem unum poſſidebat, & Jugurthæ nomine jam deſignaverat in loculis. Nobis etiam acceſſit calculus eruditiſſimi & urbaniſſimi Gevartii Antuerpiæ, quem inclytæ illius urbis tanquam pręcipuum decus, antequam iterum hanc epiſtolam ederem, inviſeram.

Alter familiæ Corneliæ nummus eſt XXXI. qui averſa in parte ſtatuam equeſtrem exhibet, quam Auguſti eſſe cenſet Urſinus, cum inſcriptione, COSSVS CN. F. LENTVLVS. Ego libenter inquirerem, an non etiam referri poſſet ad victoriam & trophęum A. Cornelii Coſſi, qui Conſul fuit anno U. C. CCCXXV. Quippe inter ædes ſacras vetuſtate collapſas, aut incendio abſumptas, quas reſtauravit Auguſtus, memoratur Templum Jovis Feretrii, in quo reſti-

tuit opima ſpolia, quæ Coſſus Larti Tolumnio Veientium Regi ad Fidenas interfecto detraxerat, ac Jovi conſecrarat. Itaque trigeſimus ille primus numinus fortè cuſus eſt in memoriam priſci illius Ducis, & ad referendam Auguſto gratiam, qui vetuſtum familiæ Corneliæ decus jam penè abolitum renovavit. Eòque lubentiùs irem in hanc ſententiam, quòd ſtatua equeſtris illa, dextro humero ſpolia ſive trophæum ferat.

Sed plùs juſto procedit epiſtola noſtra, neque ſuis ſe finibus continet, quos ut adhibeamus tandem, unicam addemus dubitatiunculam de tertio nummo æreo Greco familiæ Papiriæ. Ille ſiquidem minùs videtur tribuendus C. Papirio Carboni, fratri Cn. Papirii Carbonis ter Conſulis; neque item C. Carboni, qui Pretor fuit, & Conſul anno U.C. DCXXXIII. Multò minùs C. Carboni, qui Pretor anno DLXXXV. Sardiniam & Corſicam obtinuit. Neque enim, ut cenſet idem Urſinus, à Nicęenſibus Corſicæ populis cuſus eſt, ſed Nicęæ in Bithynia percuſſus fuit. Quod patet ex aliis ejuſdem provinciæ nummis, eodem nomine C. Papirii Carbonis inſignitis: quorum unus loco ΝΙΚΑΙΩΝ, habet ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. At Nicęa & Nicomedia ſunt

primariæ civitates unius & ejuſdem Bithyniæ. Sed & alterum poſſideo cum verbo ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ, & eâdem inſcriptione C. Papirii Carbonis. Nullus itaque ſupereſt dubitandi locus, quin cuſi fuerint hi nummi in Bithynia, & quidem ab eo, quem apud Dionem reperiſſe me exiſtimo, C. Papirio Carbone ejuſdem provinciæ Rectore. Ille ſiquidem cùm accuſaſſet M. Cottam Bithyniæ Proconſulem, qui magnam pecuniæ vim, decedens ex eadem provincia, corraſerat; ob eam accuſationem, quamvis prȩter plebis Tribunatum, honorem nullum alium geſſiſſet, Conſularibus tamen honoribus exornatus eſt, ut refert Dio circa annum U.C. DCLXXXVII. Acilio Glabrione & Piſone Coſſ. pro conſuetudine iſtius ævi, quâ prȩter pœnas reis peculatus inflictas, etiam accuſatoribus honores habebantur. Sed cùm ipſemet Carbo poſtea eandem Bithyniam obtineret, & nihilo quàm Cotta leviùs peccaſſet, ab ejus filio viciſſim in judicium tractus, reuſque peractus eſt. Cùm igitur C. Papirium Carbonem Rectorem Bithyniæ teneamus, cujus nomine cuſi ſunt nummi per totam eandem provinciam, ac prȩcipuè Nicȩæ & Nicomediæ: non eſt cur ad alios ſuperioris ævi, atque ad Nicȩenſes Corſicæ populos recurramus.

lib. 36.

Hæc ſunt paucula, VIR ILLUSTRISSIME, quæ tuo examini ſubmittenda cenſui, tum quia primas agis in excelſiſſimo antiquitatis Romanæ theatro, tum quia id mihi de tua ſingulari benevolentia polliceor, ſi quid à me peccatum fuerit, amicâ cenſurâ emendatum iri. Quòd ſi ex hac opella noſtra lucem Urſinianis Commentariis aliquam accedere poſſe cenſes: quantulum idcumque eſt, eruditæ conſuetudini tuæ debere me profiteor. Vale. *Ex Muſeo noſtro Pariſino prid. Non. Jun. A. R. S.* M. DC. LX.

OCTAVII FALCONERII DISSERTATIO DE NUMMO APAMENSI

Deucalionei Diluvii typum exhibente.


AD PETRUM SEGUINUM S. Germani Antiſſiodor. Pariſ. Decanum.

EXPECTATE VENIS, DOCTISSIME SEGUINE, (te enim veterum nummorum, ut ita dicam, ſermonis conſultiſſimum, verbis alloquar ex ipſo rei nummariæ penu te promente deſumptis) expectate, inquam, omnibus, quotquot in Urbe Æterna ſtudio antiquitatis tenemur; mihi verò etiam exoptate, cui ad deſiderium fruendi eruditione tua atque doctrina, accedit quoque recordatio ſingularis tuæ erga me humanitatis; cùm ante novennium fermè Lutetiam peregrinandi cupiditate ductus, à te in celebri illo Muſeo tuo comiter exceptus, ſelectiſſimorum nummorum conſpectu dignatus, donatus etiam eleganti illâ tuâ de Nummo Britannico Epiſtolâ, quam paulò antè edideras: mi-

In Epiſt. ad Trichetum, ex Nummo Carauſii.

rificè verò erga te virtutemque tuam affectus, in Urbem me recepi. Ubi quàm altè mihi ſemper animo hæſerit memoria tuorum in me meritorum, neminem alium teſtem appellabo, quàm chariſſimum tibi caput, quem ego ob morum ſuavitatem, atque inſignem rerum antiquarum ſcientiam plurimùm colo atque obſervo, Franciſcum Gottifredum; à quo diſcere etiam poteris, me, cùm inſperatum ab eo de proximo tuo Romam adventu nuntium accepiſſem, præ gaudio propemodum exiluiſſe. Opportunè verò accidit, ut quo ferè tempore hæc ad nos de te allata ſunt, inviſenti mihi, quod non rarò facere ſoleo, Gottifredum ipſum, obtulerit ille typum pridie à te acceptum nummi Severo ab Apamenſibus cuſi, in cujus averſa parte eadem cernebantur, quæ in nummo hoc Philippi, de cujus explicatione ſum acturus. Quo de nummo quòd tu tanquam Antiquariis veſtris ignoto, hominem, tuo omniumque judicio, nummorum peritiſſimum conſulere videbaris, in mentem ſtatim venit, occaſionem optatiſſimam offerri mihi, obſervantiam erga te meam tibi Romam advenienti publico aliquo monimento declarandi, ſi meam de præclariſſimo Philippi numiſmate conjecturam tuis auſpiciis vulgarem, quam anno ſuperiore, Epiſtolâ ad Gottifredum leviter attigeram; cujus quidem ille exemplum

plum ad te ſtatim miſit, me licèt nonnihil repugnante, quòd cenſuram tuam, ac tui ſimilium, quos acerrimi judicii viros Lutetiæ complures eſſe ſcio, in re, quæ non ita probabilis videretur, ac ſuis etiam pręſidiis, quod in tumultuaria ſcriptione aliter fieri non potuerat, deſtitutâ, haud immeritò reformidarem. Quod igitur antiqui moris erat, ut Cęſaribus provinciam aliquam adeuntibus, nummi de eorum adventu cuderentur, tanquam publicæ gratulationis indices, faciam nunc ipſe jure privato; teque inter Antiquarios noſtræ ætatis nemini ſecundum, tertiò jam ad Urbem venientem, editione inſignis hujus nummi gratulabundus excipiam. Erit quoque hoc munuſculum, levidenſę licèt, & craſſo etiam filo, xeniorum loco, quibus te Romæ hoſpitem de more proſequar: quæ ſi minùs raritate aut pretio, eo ſaltem tibi placitura non vanus fortaſſe augur ſim, quòd & ad ingenium tuum facta, & novitate ipſa nonnihil oblectamenti eo in genere, quo maximè delectaris, allatura ſint. Accipe ergo, VIR CLARISSIME, quem tibi amoris obſequiique erga te mei monumentum lubens do ac dedico, Apamenſem hunc nummum, inſignem ſanè; ac nulli, meo quidem judicio, raritate, aut eruditæ antiquitatis commendatione poſthabendum.



Is, ut vides, Philippi ſenioris caput præfert laureatum de more, atque inſcriptione conſueta, niſi quòd Marci pręnomen omiſſum errore haud in nummis infrequenti, ΑΥΤ. Κ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΑΥΓ. *Imp. Cæſ. Jul. Philippus Aug.* In averſa verò navigii genus quodpiam cernitur (quo enim alio nomine id rei appellem ignoro) tetragoni, atque aquis innatantis, in quo ſimulacra duo pectore tenus extant, virile alterum, alterum muliebre, cui velum è capite dependet. Ex ea autem, quam, ſi placet, deinceps Arcam nominabimus, prominent duo veluti tigilli erecti, quibus tranſverſus alter innititur. Huic columba inſidet, alteri ſimilis, quæ ramuſculum unguibus tenens, aliſque expanſis, non longè ab Arca volantis ſpeciem prębet. Ante Arcam duæ itidem figuræ, quarum virilis muliebrem ponè ſequitur: utraque verò ejuſdem planè vultus atque illæ, quæ in Arca ſunt, ut mecum viri harum rerum periti ſentiunt. Ornamenta capitis in muliebri, eadem.

Verùm in hoc differunt duæ iſtæ quæ Arcam præeunt, quòd utraque dextrum lacertum in cubitum erectum habet; quod in iis quæ in Arca ſunt, nequaquam apparet. Inſcriptionem ita lego, ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Β. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ. *Sub M. Aur. Alexandro II. Pontif. Apamenſium.* In fronte verò Arcæ hæ tres literæ non obſcurè apparent, Ν, Ω, Ε. Hujus ſanè typi tres mihi nummos, eoſque æreos maximos (*Medaglioni* vulgò) vidiſſe contigit. Unum ſcilicet, eumque omnium integerrimum, cujus hîc ectypum exhibuimus ex celeberrimo Muſeo Magni Etruriæ Ducis, cujuſque mihi viſendi copiam fecit pro ſua ſingulari humanitate LEOPOLDUS Etruriæ Princeps, quem literis boniſque artibus alendis fovendiſque natum, non modò Italia, ſed Gallia etiam veſtra, ac quicquid eſt in Europa univerſa hominum literatorum admiratur & prędicat. Alterum poſſidet PETRUS OTTOBONUS Cardinalis, egregiis animi dotibus, inſignique doctrina atque uſu rerum pręclariſſimus; cui è veterum nummorum aſpectu graviſſimis à laboribus ſolatium quærere non tam oblectamento eſt, quàm decori iis qui hac eruditionis parte delectantur, ampliſſimi Ordinis ornamentum ingens ſibi laudis ſocium habere. Tertium penes ſe habet AUGUSTINUS CHISIUS Farneſii

Princeps, ALEXANDRI VII. Pont. Max. fratris filius, in cujus Muſeo alia etiam ejuſdem raritatis ac pretii numiſmata extant. Ita fato quodam accidiſſe videtur, ut quotquot, quantùm ego ſcio, illuſtris hujus antiquitatis monumenti exempla lucem viderunt, iis in ampliſſimum locum perveniſſe ſorte obtigerit. Cæterùm egregiam huic Philippi nummo lucem præbet, ac viciſſim mutuatur, Severi quem diximus, cujus typus à te ad Gottifredum miſſus; in quo ego quoque me tibi non leviter obligatum ſentio, quòd conjecturæ meæ aſſerendæ tantum prçſidii attuleris. Et verò non committam, ut ejus aſpectum eruditorum oculis invidendo avarus nimiùm atque adeò iniquus videar in iis abſcondendis, quorum ipſe nonniſi beneficio tuo particeps factus ſum. Illum ergo ex tuo ectypo deſcriptum hîc profero, quem cum noſtro Philippi conferre, haud erit ſtudioſis, opinor, injucundum.



Ejus anterior pars, ut videre eſt, Severi caput laureatum habet cum inſcriptione vulgari, ΑΥΤ. Κ. Λ. ΣΕΠΤ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ ΠΕΡΤΙ. *Imp. Cæſ. L. Sept. Severus Pertinax.* Averſa, eadem quæ in Philippi nummo, ſi pauca excipias, quorum diverſitas neſcio cęlatori ne, an ei qui nummum excudit, tribuenda ſit. Vereor enim, ne is ad diverſam, quâ imbutus eſſet circa explicationem hujus nummi, opinionem cęlum accommodaverit. Ac primùm vehementer ſuſpicor, Arcæ quidem ſchema non aliud eſſe hîc, atque in noſtro; ſed pręjudicio ſcalptoris factum eſſe, ut quæ re vera in utroque erecta Arca fingitur, cujus vertex ſit pars ea, cui columba inſidet; in hoc ita repræſentetur, ac ſi quicquid ſpatii intercedit à loco ubi poſita eſt columba, ad eum in quo figuræ deſinunt, Arcæ ipſius longitudinem metiatur: quod verum minimè eſſe ex noſtro manifeſtò patet. Qualis enim eſſet Arcæ hujus forma, quæ quinque lateribus conſtaret, verùm haud æqualibus, anterioribus verò ita in obtuſum angulum coëuntibus, ut quaſi in cuneum deſinant? Quòd autem ille unicum tantùm in fronte latus expreſſerit, illudque ad normam directum inde fortaſſe fieri potuit, quòd nummo in hac parte vetuſtate attrito, angulum ex concurſu duorum laterum, qui in noſtro perſpicuus ſatis eſt, mini-

mè deprehenderit. Eò etiam refero quòd volucris, quæ ramum unguibus tenet, ad aquilæ ſpeciem, aut alicujus ex accipitrum genere, efficta ſit: ex tribus enim aliis Philippi illam non aliam eſſe, quàm columbam, proculdubio conſtat. Variat quoque hîc nonnihil ſchema figurarum, quæ ſunt in Arca. Harum namque quæ dextrum latus obtinet, brachiis ſeminudis atque ad pectus adductis apparet, altera lęvum itidem brachium ſeminudum oſtendit, neque ei velum è capite dependet, ut in noſtro. Sed de his ii viderint, quibus nummi ipſius archetypum oculis uſurpare contigit. Inſignis verò atque eruditorum obſervatione digna inſcriptio, ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ ΑΡΤΕ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΑΜΕΩΝ. *Sub Agonotheta Arte. Magnetum Apamenſium.* Agonothetæ quippe hîc nomen inſcriptum eſſe videtur, tanquam ejus, à quo in Apamenſium Faſtis diſtingueretur is annus, quo nummus iſte cuſus eſt. Cujus verò generis ſit, quidve denotet hoc loco Agonothetæ Magiſtratus, haud eſt propoſiti noſtri inveſtigare; deque re iſta opportuniùs egimus in Notis ad Inſcriptiones Athleticas, quas vulgabimus aliquando.

Jam verò, ut ad nummum noſtrum revertamur, quò clariùs pateat, ad quam potiſſimùm ex diverſis urbibus, quæ Apameæ, ſeu Apamiæ

nomen tulerunt, referendus ille ſit, ante omnia neceſſarium arbitror de earum numero atque origine paulò curioſiùs inquirere. Sex itaque numero hujus nominis urbes agnoſcunt Ortelius, atque ejus autoritatem ſecutus, ni fallor, Triſtanus. *in Gordiani num. 19.* Ego verò nonniſi quinque eas fuiſſe libentiùs crediderim, quot itidem à Stephano diverſis in regionibus numerantur. Primo loco ſit, quæ omnium celeberrima fuiſſe videtur, Apamea Syriæ, olim Pella Macedonibus, de cujus origine, ſitu, atque agri fertilitate multa apud Strabonem. *cap. 12.* Secundum obtineat Apamea Phrygiæ, Cibotus dicta, inter Aſiaticas urbes poſt Epheſum dignitate proxima, ad confluentes fluviorum Marſyæ & Mæandri poſita, ad quam pertinet inſignis ille Gordiani nummus apud Triſtanum, *tom. 2.* aliuſque rariſſimus Tiberii ex theſauro CHRISTINÆ, cum inſcript. ΑΠΑΜΕΙΑϹ ΠΡΟϹ ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ. Atque hæ quidem duæ notiſſimæ apud ſcriptores, pręter quas unam in Bithynia, alteram in Media habet Strabo, quæ illi, ut opinor, eadem cum ea, quæ in Parthia, apud Ragas. Ac quantùm ſanè ad tres priores pertinet, Straboni omnino conſentit Stephanus. Diverſę verò ſunt illi, ἡ ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ τῷ Τίγρητι περιερχομένη, *quæ in Meſene, Tigride circunfunditur*, quæque ab eodem in Perſide ponitur, Ἐδέσης πρὸς ἄρκτους. Alię quoque

Plinio atque aliis urbes Apameæ nomine, quæ ab iis quas adhuc nominavimus, diverſæ videri poſſint. Non ideo tamen earum numerus temere augendus; exiſtimandumque potiùs, ſcriptores, ut aliàs ſępe populorum atque regionum, hîc urbium harum nomina confudiſſe. Ac ne longiùs à re noſtra abeamus, Stephanus idem, ſeu potiùs ejus Epitomator Hermolaus, illam ipſam Meſenes regionem, in qua Apameam collocat, quam rectè quidem diviſum alveo Tigrim complecti vult, ἐν ᾗ σχίζεται ὁ Τίγρις ποταμός, alibi pro Meſopotamia accipit, quòd ea ſit ὑπὸ τῶν δύο ποταμῶν Εὐφράτου καὶ Τίγριδος μεσαζομένη, *à duobus fluviis Euphrate ac Tigri intercepta*, ut jam obſervavit Salmaſius. *in Exercit. Plin p. 698.* Quo veriſimilius fit, Apameam, quæ ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ Stephano dicitur, eandem eſſe cum illa, quæ aliis in Meſopotamia ponitur. Neque verò diſſimulabo Plinium, pręter iſtam in Meſene Apameam, de qua lib. 6. cap. 27. aliam quoque ad Euphratem, *in Zeugmate* dictam, agnoſcere. *lib. 5. cap. 24.* Sed & ipſe falli ob regionum vicinitatem potuit, aut hæc eadem fortaſſe eſſe cum ea, quam Strabo in Media ponit, ut & illa, quam Plinius Mediæ oppidum facit, *Raphane* cognominata, eadem videtur fuiſſe, quæ Straboni in Parthia eſt, ut Ortelio etiam placuit; *lib 11.* atque ex eo probabilius redditur, quod narrat Strabo, Parthiam

olim

olim haud ita amplam fuiſſe provinciam, ſuâ verò ætate amplificatam additis Camiſenâ & Chorenâ regionibus, & quicquid eſt uſque ad Portas Caſpias, & Aragos, ſeu *Ragas*, ac Tapyros, quæ olim Mediæ fuerant: cujus quidem rei ignoratione veriſimillimum eſt erroris occaſionem prębitam iis qui poſt Strabonem ſcripſerunt, eandem urbem pro duabus uſurpandi, quas crederent in diverſis regionibus poſitas. Atque in re ſimili allucinatus videtur diligens alioqui Antiquitatum Hiſpanicarum ſcriptor Geneſius Sepulveda, qui Pacem Juliam à Pace Auguſta, ſeu Colonia Auguſta Pacenſi diſtinguit, quas quidem unam eandemque urbem eſſe multis adversùs ipſum adſtruit Andreas Reſendius, opuſculo ſingulari de Colonia Pacenſi. Quin & Strabo ipſe, attento minùs lectori Apameam unam in Parthia, alteram in Media poſuiſſe videri poſſit; cùm tamen unam eandemque fuiſſe, quæ *apud Ragas*, vix dubitari poſſit, ut locum utrumque ex libro 11. conferenti manifeſtum erit. Quòd ſi quiſpiam Apameas à ſcriptoribus aliquando confuſas minimè largiatur, ego contrà, non ſex Apameas, ſed vel ſeptem aut octo, ex diverſis autorum locis ęvincam. Nam pręter celebrem illam Phrygiæ, aliam quoque cognomento Ciboton, ex Ptolemęo & Græca Epiſcopatuum Notitia, in Piſidia

lib. 5. cap. 2. poſt Geograph. Sac. Caroli à S. Paulo.

oſtendam, quæ tamen in ea provincia nulla fuit, ſolaque Ptolemęo impoſuit regionum vicinitas: Phrygia enim, quæ Straboni παρώρειος, ſeu *pedemontana*, Piſidiæ erat contermina. Ac quod probabile minùs ſit, duas in ſola provincia Bithynia Apameas aſſeram, alteram à Pruſia conditam, quam Strabo, Ptolęmeus, Zoſimus & alii norunt; alteram, quam Nicomedem Epiphanem
pag. 118. condidiſſe autor eſt Stephanus, atque ex eo Euſtathius in Schol. ad Dionyſium Periëgetem: quod tamen me nemini perſuaſurum probè ſcio. Illa quoque ad adſtruendum Apamearum numerum non levis conjectura, quam mihi ſuppeditat inſi-
pag. 124. gnis Appiani locus in Syriacis, ubi hæc de urbibus à Seleuco Nicatore conditis. Πόλεις δὲ ᾤκισεν ἐπὶ τὸ μῆκος τῆς ἀρχῆς ὅλης ἑκκαίδεκα μὲν Ἀντιοχείας, ἐπὶ τῷ πατρὶ, καὶ πέντε ἐπὶ τῇ μητρὶ, Λαοδικείας· ἐννέα δ' ἐπωνύμους ἑαυτῷ· τέσσαρας δ' ἐπὶ ταῖς γυναιξὶ, τρεῖς Ἀπαμείας, καὶ Στρατονίκειαν μίαν. *Urbes autem condidit per longitudinem imperii ſui, ſedecim quidem Antiochias à patre denominatas, quinque à matre Laodiceas, novem ſibi cognomines Seleucias, quatuor ab uxoribus, tres Apameas, unam Stratoniceam.* Nam ſi tribus his Apameis, quas Seleucum ab uxore denominaſſe Appianus memorat, unam in Phrygia addas ab Antiocho ejus filio exſtructam, alteram in Bithynia à Pruſia; quinque jam habebis, quot re vera extitiſſe ar-

bitror hujus nominis urbes, quarum ſanè quatuor ab Apame Seleuci uxore, Antiochi Soteris matre, appellatæ, una ab altera itidem Apame Pruſiæ uxore, cui fortaſſe id nominis fuit, quòd ad Apamem illam Seleuci, genus ſuum aliquo modo referret: nam propagatum Apamæ nomen in Apame Antiochi ſorore, quæ Magæ in matrimonium collocata eſt, obſervo ex Pauſania. *in Attic.*

Proximum eſt jam ut quoniam de Apamearum numero egimus, de earundem appellatione atque etymo nonnihil dicamus. Mirificè enim hîc quoque variaſſe video tum veteres ſcriptores, tum etiam nonnullos ex recentioribus, ut infrà oſtendam. Apamearum porrò originationem ex Hebraïca lingua duxit Salmaſius, cui etiam adſtipulari video virum noſtra ætate eruditione celebrem. *in Exercit. Plin. p. 826.* In ea enim id vocabulum, *urbem cinctam vel circundatam*, ſonare narrat; idque ad illud referendum, quòd *omnes urbes quæ Apameæ vocatæ ſunt, inter amnes ſitæ fuerint:* quemadmodum & Gades inſulam, & Gaddir Hiſpaniæ urbem inter duo Bœtis oſtia, & maris undique aquis circundatam, à Phœnicio vocabulo nomen derivaſſe, quod *ſepem*, & περίφραγμα, & *locum circunſeptum* ſignificat. Sed vereor ne ille hoc loco, ut aliàs ſæpe, nova potiùs quàm probabilia dicere voluiſſe videatur. Quicquid enim ſit de origine ipſa,

an ſcilicet ſatis hîc quadret, quando ea manifeſto tot autorum conſenſu ad Apamem refertur; vix credo omnes urbes, quæ Apameæ nomen tulerunt, inter amnes ſitas fuiſſe; quod neque ex veteribus Geographis colligitur, & ipſe ſaltem probare potuiſſet. Neque enim Apameam Bithyniæ, aut illam quæ in Parthia erat, interamnas fuiſſe produnt ſcriptores; deque earum etymo alioquin adeò inter eos convenit, ut aliam ejus originem inveſtigare, lucem planè ſit in meridie quærere. Conſtat igitur Apameas omnes ab Apamis duabus illuſtribus ac regiis fœminis vocitatas: ac ſi res ſubtiliùs examinanda ſit, ab antiquiore illa uxore Seleuci, à qua alteri nomen derivatum veriſimile eſt. Verùm & circa Apamem
lib. 38. ipſam variè erraſſe ſcriptores comperio. Livius illam Seleuci ſororem facit. *Migratum inde* (inquit ille) *veteribus Celænis, novæque urbi nomen inditum ab Apame ſorore Regis Seleuci.* Ubi Salmaſius libertate ſanè plùs quàm Decembri legit *uxore, quòd editiones malè habeant: ab Apame ſorore Seleuci.* Id audacter ſanè factum, MSS. Codd. reclamantibus; meo autem judicio etiam frivolè. Sicuti enim in magnorum autorum erroribus notandis, diligentiæ laudem affectare, φιλοψόγου eſt, ejuſque in quo reverentiam antiquitatis deſidetes: ita in omnibus eorum apicibus tuendis an-

xiè laborare, aquam planè cribro haurire eſt. Nam, ut Quintiliani verbis utar, & labuntur aliquando, & oneri cedunt: nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. *Inſtit. Orator. lib. 10. cap. 1.* Familiaria verò illis hujuſmodi μνημονικὰ ἁμαρτήματα, qualia non modò Galenum, Maximum Tyrium, atque alios; ſed diſertiſſimum etiam Romuli nepotum admiſiſſe advertit H. Stephanus ac Critici *in Notis ad Æſchylum.* paſſim. In Livio autem fatalis quodammodo videri poſſit hujuſmodi in cognationis appellationibus incogitantia: cujus quidem illuſtre exemplum à nemine adhuc, quod ſciam, obſervatum, ſuggeſſit mihi vir longè doctiſſimus atque eruditiſſimus Alexander Pollinus. Qui enim apud Livium lib. 27. ait Maſſiva, ſe orbum à patre relictum cum *avunculo* Maſaniſſa in Hiſpaniam trajeciſſe; *fratris filius* à Maſaniſſa ipſo appellatur apud eundem lib. 28. ubi hæc de Maſaniſſa. *Propè attonitus ipſo congreſſu Numida, gratias de fratris filio remiſſo* (Maſſiva) *agit.* Opportunè magis atque ingenuè Glareanus ad eum locum, de quo ſuperiùs (miror autem inter tot viros doctos, qui in Livio emendando aut illuſtrando operam collocarunt, illum unum hîc vidiſſe) Romanæ Hiſtoriæ Principem, quantùm licet, excuſat; quaſi is circa hujuſmodi barbarorum nomina haud multùm fuerit ſollicitus. Neque eſt cur quiſpiam Li-

vium tuendi anxius, ipſum cum autoribus cęteris conciliare laboret, quòd nempe Apame eadem Seleuci ſoror atque uxor eſſe potuerit, ſolenni Ptolemæorum atque aliorum etiam Aſiaticorum Regum more: veniendum enim illi in *lib. 12.* controverſiam erit cum Strabone, qui Apamem Seleuci uxorem, Artabazi filiam fuiſſe prodit. Apamem quoque, Livii veſtigia ſecutus, Seleuci *in Gordiano num. 39.* non uxorem, ſed ſororem fecit Triſtanus. Sed, quod mirari ſatis nequeo, Strabonem lib. 12. tanquam Livio concordem in ſententiam ſuam citat; qui tamen diſertè ibidem Apamem, Seleuci uxorem nominat. Strabonis verba ipſa, ne Triſtanum indictâ causâ damnaſſe videar, huc afferam. Sic igitur ille loco ſupradicto: Ἐντεῦθεν δ' ἀναστήσας τοὺς ἀνθρώπους ὁ Σωτὴρ Ἀντίοχος εἰς τὴν νῦν Ἀπάμειαν, τῆς μητρὸς ἐπώνυμον τὴν πόλιν ἀπέδειξεν Ἀπάμας, ἣ θυγάτηρ μὲν ἦν Ἀρταβάζου, δεδομένη δ' ἐτύγχανε πρὸς γάμον Σελεύκῳ τῷ Νικάτορι. *Atque inde* (è veteribus nempe Celænis, loquitur enim de Apamea Phrygiæ) *cùm cives tranſtuliſſet Antiochus Soter in eam, quæ nunc dicitur Apameam, ei à matre Apama nomen fecit, filia Artabazi, quæ nuptum data fuerat Seleuco Nicatori.* Quod verò Plinium ſibi eadem de re teſtem advocat cap. 29. lib. 5. perperam etiam facit: nam neque apud Plinium loco citato verbum ullum de Apame; neque alibi illam Apamem Seleuci

ſororem dixiſſe puto. Quomodo enim ſibi conſtaret qui alio loco hæc habet? *Item Apamia, cui nomen Antiochus matris ſuæ impoſuit, Tigris circunfunditur.* Ubi notandum, Apameam ab Antiocho conditam illam dici à Plinio, quæ in Meſene, quod & Solinus credidit, ſi id verum eſt quod ſuprà innuimus, Apameam apud Tigrim non aliam re vera eſſe, quàm quæ aliis autoribus in Meſopotamia ponitur. Sed uterque fallitur, ſi verus eſt Strabo, cujus autoritatem ego ſequi malim. Ea enim eſt Apamea Phrygiæ, ut vidimus: niſi fortè plures Antiochus Apameas, matris nomine denominatas, condidit; qua tamen de re nihil, quod ſciam, apud ſcriptores. Diverſo tramite à vero aberravit Stephanus, cui Ἀπάμεια Συρίας πόλις ἀπὸ Ἀπάμης τῆς Σελεύκου μητρός. *Apamea urbs Syriæ ab Apame Seleuci matre.* Quod quàm verum ſit, ex Appiano & Strabone ſuprà citatis ſanè patet. Atque hinc obiter animadvertere licet, quàm cautè hujuſmodi autores legendi ſint, qui magno literarum detrimento non ipſi αὐτοπρόσωποι nobiſcum loquuntur; ſed ineruditis poſterioris ævi Grammaticis larvam commodant, qui illos non modò in epitomen redigendo decurtarunt, ſed inficetis etiam ſuis gloſſematis corruperunt; quod, cùm Stephano, tum Suidæ atque aliis accidiſſe notarunt viri docti. Cęterùm inter

lib. 6. c. 27.

tot diverſas Apameæ nomine urbes appellatas una Romanorum colonia fuit, Plinio ac Strabone autoribus, Bithynienſis Apamea, ut ex Ulpiano etiam oſtendit Panvinius. Cujus quoniam hîc mentio incidit, haud ſanè ſilentio præteribimus, quantùm circa ejus appellationem pugnare inter ſe videantur Strabo ac Plinius. Strabonis verba ſunt: Ἀναλαβὼν δ' ἐκεῖνος ἐκ τῶν ἐρειπίων αὐτὰς, ἐπωνόμασεν ἀφ' ἑαυτοῦ μὲν Προυσιάδα πόλιν τὴν Κῖον, τὴν δὲ Μυρλείαν Ἀπάμειαν ἀπὸ τῆς γυναικός. *Is* (Pruſias ſcilicet) *has urbes à ruderibus excitatas Cium, Pruſiadem à ſe, Myrleam ab uxore, Apameam denominavit.* Apamea igitur Strabonis ætate, quæ olim Myrlea, ut alibi diſertiùs etiam ille eodem libro. Contrà Plinius loco paulò antè citato. *Deinde flumen Gebes, & intùs Helgas oppidum, quæ Germanicopolis alio nomine Booſcete, ſicut Apamia, quæ nunc Myrlea Colophoniorum.* Anne verò eandem Bithyniæ urbem, quæ Strabonis tempore Apamea dicta eſt, Plinii ſeculo ſuum illud antiquum nomen repetiiſſe credibile eſt? Augeri ſuſpicio poſſit, quòd Cium quoque urbem, quam Pruſiadem à Pruſia vocatam ex Strabone audivimus, veteri item nomine appellat Plinius eodem capite, ubi deſcriptionem Bithyniæ proſequitur. *Poſtea ſinus, in quo flumen Aſcanium, oppidum Bryllion, amnes Hylas & Cios cum oppido ejuſdem nominis.* Sed quomodo

lib. 3. c. 32. *lib. 12.* *lib. 3. de Rep. Rom.* *lib. 12.*

quomodo rurſus quæ Plinio Myrlea, poſteriori-bus temporibus Apamea appellari potuit à Zoſimo, Stephano, Euſtathio, in Notitia Gręca Epiſcopatuum, in ſubſcriptionibus Conciliorum; idque nominis tandiu conſtanter retinere, quod ad ſua uſque tempora duraſſe Sophianus teſtatur? Credideram aliquando Plinium cum Strabone autoritate critica reconciliari poſſe, mutatâ, quòd ibi mendum ſuſpicarer, veteri lectione, ut uno tantùm verbo tranſpoſito legeretur: *ſicut, quæ nunc Apamia, Myrlea Colophoniorum*. Sed quorſum id, ſi rurſus committendus ille mihi foret cum Mela, quem non ſemel citat ac laudat Plinius, & non pauca etiam ab ipſo mutuatur? Mela ſiquidem ait in deſcriptione Bithyniæ, in qua nullam Apameæ mentionem facit: *Trans Rhyndacum eſt Daſcylos, & quam Colophonii collocavere, Myrlea:* quod admiratione dignius eſt in eo ſcriptore, qui Straboni fuit propè æqualis. Hæc profectò obſcura ſunt, atque ἀσύςατα; ſed de iis illuſtrandis aut componendis viderint eruditi. Ego verò, ut tandem de Apameis loquendi finem faciam, addam corollarii loco, quod inobſervatum minimè videtur prætermittendum, ter à Strabone, tres diverſas hujus nominis urbes, cum tribus itidem *Laodiceis* componi; (plures enim fuerunt *Laodiceæ* nomine urbes, non una tantùm *lib. 1. cap. 19.*

Hh

Syriæ, ut exiſtimaſſe videtur Joannes Quintinus in Præfatione ad Zonaram in Canones) quod quidem haud temerè feciſſe accuratiſſimum ſcriptorem veriſimile eſt, eòque potiùs reſpexiſſe credendum, ut eas conjunctim nominando, ὁμόνοιαν illam, ſeu ſocietatem mutuam ſignificaret, quæ inter urbes hujus nominis intercederet, quod ſci-
lib. 16. licet diſertiùs tradit de Apamea & Laodicea Syriæ, quæ, ἐλέγοντο ἀδελφαὶ διὰ τὴν ὁμόνοιαν, *propter concordiam Sorores dicebantur*: quemadmodum etiam
in Schol. ad Dion. Perieg. appellatas eſſe Laodiceam & Seleuciam ex Euſtatio diſco. Hujus verò appellationis originem ad id referendam cenſeo, quòd cùm urbes iſtæ ab eodem eſſent conditæ Seleuco Nicatore, ac veluti ejuſdem patris filiæ, cognomentum illud affectionis ad declarandam inter ſe mutuam ex cognatione benevolentiam uſurparent. Neque aliàs inſolitum in antiquitate civitates, ſorores appellari. Sic Uticam Carthaginis ſororem Tertullianus in lib. de Pallio; ideo fortaſſe, quòd, ut ha-
lib 1. cap. 7. bet Mela, eſſent Utica & Carthago *ambæ inclytæ, ambæ à Phœnicibus conditæ.* Sic Sodoma & Samaria ſorores Hieruſalem appellantur à Hieronymo ex Ezechielis cap. 16. uti jam notavit Ludovicus
lib. 11. Annal. *d'Orleans* in Comm. ad Tacitum. Quod verò ad ΟΜΟΝΟΙΑϹ vocabulum illuſtrandum facit, ſolenne illud quidem in nummis ad deſignandam

inter duas aut plures etiam urbes fœderis ſocietatem, non dubito te olim obſervaſſe in locupletiſſimo Gottifredi noſtri Theſauro pręclaros æreos nummos maximos, in quibus illuſtrium pręcipuè civitatum ΟΜΟΝΟΙΑΝ legere eſt; ΕΦΕCΙΩΝ ΚΑΙ CΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ in M. Aurelio. ΕΦΕCΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕCΙΩΝ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ CΙΛΙΝΕΝΤΟC in Commodo. ΕΦΕCΙΩΝ Κ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ Κ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ in Gordiano. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ in Otacilla Severa. Nihil autem eo veriſimilius, quod ipſe animadvertiſti ex egregio illo tuo ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ, ad deſignandam ΟΜΟΝΟΙΑΝ, ſeu fœderis communionem apponi ſolitas in hujuſmodi nummis icones numinum, quæ in unaquaque urbe potiſſimùm colerentur. Cui ſanè opinioni tuæ non parùm favent, quos & abs te apud eundem Gottifredum obſervatos puto, ſelecti nummi, in quorum averſis partibus totidem numinum icones, quot in iis urbium mentio fit, non ſine conſilio appoſitas credere conſentaneum eſt. Nam ſicuti è duobus M. Aurelii & Commodi, in quorum altero ΕΦΕCΙΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ; in altero verò, CΤΡΑ. Μ. CΕΛΛΙΟΥ. ΟΜΟ. ΝΕΙΚΟΜ. CΜΥΡ. illud Dia-

næ Epheſiæ & Jovis, hoc Cereris & Cybelis icones exhibet; ita in egregio nummo Antonini Pii, qui CMYP. ΠΕΡΓ. ΕΦΕCΙΩΝ ΟΜΟΝ. habet, Dianam Epheſiam, Fortunam, & Æſculapium cernere eſt.

Ac de Apamearum hiſtoria, quòd à re noſtra alienum minimè videbatur, prolixiùs quidem tecum egi, VIR DOCTISSIME, non quòd novi quicquam, quodve eruditionem tuam fugeret, me dicturum eſſe confiderem; ſed ut quæ ſparſim apud veteres ſcriptores de iis habentur, veluti unico conſpectu ob oculos repręſentarem: quod & tibi haud ingratum fore ſpero; mihi verò etiam opportunum, ut tibi rem propiùs inſpicienti, meam de inſigni hoc nummo Apameæ Syriæ tribuendo opinionem faciliùs probem, cui, ob ea quæ infrà dicturus ſum, non invitus, ut puto, accedes. Venio nunc ad nummi ipſius explicationem, cujus quidem ſummam, ut paucis aperiam, aio in ejus averſâ, quantùm conjecturâ aſſequi licet, decantati illius Deucalionei Cataclyſmi memoriam ab Apamienſi Monetario fuiſſe expreſſam; illud, quod navigii genus quodpiam diximus Arcam repræſentare, cujus ope ſervatum Deucalionem narrant fabulæ, in Arca Deucalionis ipſius & Pyrrhæ ſimulacra extare. Deucalionis ſanè Cataclyſmus notiſſima res eſt, ſi quæ

ulla, apud Mythologos, atque earum celeberrima, quas è ſacris Bibliis depromptas, ac veluti per manus traditas ab hominum memoria, conſtanter retinuit Antiquitas. Verùm ita fabularum involucris larvata veritas, ut in Noëmico potiùs Diluvio Deucalionei originem, quàm in Deucalioneo Noëmici hiſtoriam liceat agnoſcere. Mirificè quippe, ut eſt fabularum inconſtantia, Diluvii hujus cauſſas, tempus, modum confuderunt veteres, ut etiam non ſemel, quod re vera accidit, ſed ter aquis demerſum Orbem terrarum crederent: ut omittam quæ de Deucalione ipſo, quem non unicum tantùm, ſed triplicem eſſe voluerunt, deque ratione & loco, quo ille primùm ex aquis emerſerit, perperam commenti ſunt; quæ hîc referre longum ac ſupervacaneum eſſet. Non adeò tamen illi, in tenebris licèt poſiti, cæcutierunt, ut veſtigia nulla veritatis, quam ex ipſis ſacris Literis, aut ex antiquiſſimorum ſcriptorum monimentis ſunt mutuati, in eorum fabulis ſit deprehendere; liceatque de iis illud uſurpare, quod de Poëtarum filiis Lactantius, illos non omnino mentiri ſolitos, ſed figuris involvere & obſcurare quæ dicerent. *de Orig. error. lib. 2.* Sic ut Noë Arcam Moſes, ipſi Deucalioni κιβωτὸν, aut λάρνακα tribuerunt: unde Larnaſſus, Stephano teſte, vetuſtis illis temporibus dictus, ἀπὸ τῆς Δευκαλίωνος

λάρνακα αὐτόθι προσονεχθῆναι. qui poſtea unius literæ mutatione Parnaſſus Theſſaliæ mons; quò, ut ad Armeniæ montes delatam aquis Noë Arcam habetur in Veteri Teſtamento, ipſi quoque appulſam Deucalionis Arcam crediderunt. Sic columbæ miſſionem, ut de Noë legimus, Deucalioni aquarum è facie terræ dilabentium indicio fuiſſe ab iis traditum. Porrò Deucalionei Cataclyſmi, atque Arcæ etiam, in qua illum ſervatum fama fuit, innumeros planè autores meminiſſe nemo, vel leviter eruditus, ignorat, Mythologos præſertim ac Poëtas; quos inter, Chriſtianum hominem, Chriſtianæ etiam poëſeos ſacris initiatum Nonnum, non puduit exploſam jam fabulam recoquere his grandiloquis verſibus, quibus poſt Dionyſ. lib. 3. deſcriptum Ogygium Diluvium, hæc de Deucalioneo.

Δεύτερος ὄμβρος ἔην, ὅτε κυκλάδος ἄντυγα γαίης
Χεύματι λυσσήεντι κατέκρυφε δύσνιφον ὕδωρ,
Δευκαλίων ὅτε μοῦνος ὁμόστολος ἥλικι Πύῤῥῃ
Ὀλλυμένων μερόπων ἐνὶ λάρνακι κοιλάδι τέμνων,
Χεῦμα παλινδίνητον ἀτεκμάρτου νιφετοῖο
Ἠέρος ὑδατόεντος ἕλιξ πορθμεύετο ναύτης.

Altera pluvia erat, cùm circularis ambitum terræ
Fluctu inſano abſcondebat infeliciter ningens aqua,
Deucalion cùm ſolus comes cum coæva Pyrrha
Pereuntium hominum in cava arca ſecans

Fluctum revolutum immenſa pluvia
Aëris aquoſi in gyrum trajiciebatur nauta.

Ubi ſanè λάρνακα, *navim* Lubinus verterit, neſcio, cùm λάρναξ *arca* ſit paſſim Græcis ſcriptoribus. Omnium verò maximè, fabuloſum hunc Cataclyſmum, ad Noëmici exemplum expreſſit Lucianus in Syntagmate de Dea Syria. Locum integrum, quando id res ipſa poſtulare videtur, huc afferre non verebor. Poſt Diluvii igitur compendioſam narrationem, hæc ille de Deucalione. Δευκαλίων δὲ, μοῦνος ἀνθρώπων ἐλίπετο ἐς γενεὴν δευτέρην, εὐβουλίης τε, καὶ τοῦ εὐσεβέος εἵνεκα. ἡ δέ οἱ σωτηρίη ἥδε ἐγένετο. λάρνακα μεγάλην, τὴν αὐτὸς εἶχε, ἐς ταύτην ἐσβιβάσας παῖδάς τε, καὶ γυναῖκας ἑωυτοῦ ἐσέβη. ἐσβαίνοντι δέ οἱ ἀπίκοντο σύες, καὶ ἵπποι, καὶ λεόντων γένεα, καὶ ὄφιες, καὶ ἄλλα, ὁκόσα ἐν γῇ νέμονται πάντα ἐς ζεύγεα. ὁ δὲ, πάντα ἐδέκετο, καί μιν οὐκ ἐσίνοντο, ἀλλά σφισι μεγάλη διόθεν φιλίη ἐγένετο. καὶ ἐν μιῇ λάρνακι πάντες ἔπλευσαν, ἔστε τὸ ὕδωρ ἐπεκράτεε. *Deucalion autem ſolus hominum relictus eſt in ſecundam generationem, prudentiæ & pietatis gratiâ. Servatus autem fuit hoc pacto. Magnam quandam arcam, quam ipſe habebat, liberis & uxore in eam impoſitis, conſcendit. Ingredientem ſequuti ſunt apri, equi, leones, ſerpentes, & alia quæcunque in terra paſcuntur, bina cuncta. Quæ omnia excepit: nec ipſum lædebant; ſed magna inter eos divinitus erat concordia, unaque in arca omnes navigarunt, quandiu aqua ſuperavit.* Conſtat ita-

que (nam hæc de Deucalione à Græcis accepiſſe fatetur Lucianus) ad Noëmicæ illius Arcæ imitationem, Deucalionis κιβωτὸν, ſeu λάρνακα effinxiſſe veteres Fabulatores. Quod idcirco dixiſſe volui, ne quiſpiam contra quàm in nummo noſtro apparet, non arcâ, ſed cymbâ potiùs, aut quovis alio navigii genere ſervatum, opinione veterum Deucalionem opponat, fretus Ovidii autoritate, apud quem hæc de Deucalionis ad Parnaſſum appulſu legere eſt.

Hîc, ubi Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum conſorte tori parva rate vectus adhæſit
Corycidas nymphas, & numina montis adorat.

Sat. 1. Aut Juvenalis, cujus hi ſunt verſus:

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Navigio montem aſcendit, ſorteſque popoſcit,
Paulatimque animâ caluerunt mollia ſaxa.

A quibus ſanè ob eam, quâ Poëtarum jure utuntur quidlibet audendi poteſtate, non exacta admodum expectanda eſt in rerum antiquarum narratione diligentia aut fides. In noſtro verò nummo, quantùm in re tali fieri potuit, Arca non dubiè expreſſa. Nam vix aliud apud veteres etiam eſſe potuit, κιβωτῦ, ſeu Arcæ ſchema, quàm quadrilaterum, quale hujus fuiſſe ex duobus quæ apparent lateribus, videtur: potiſſimùm enim ejus uſum fuiſſe recondendis veſtimentis docet nos

Ariſtophanis

Ariſtophanis Scholiaſtes, quo autore, κίστη, *ciſta*, ac κιβωτὸς, *arca*, in eo præcipuè differunt, ὅτι ἡ μὲν εἰς ὑποδοχήν ἐστιν ἐδεσμάτων· ἡ δὲ, ἱματίων, καὶ χρυσοῦ ἡ κιβωτός. *Quòd ciſta eduliis condendis; arca veſtimentis atque auro ſervando eſt.* In eo autem iſta à vulgaribus differt formâ, quòd altiùs aſſurgit, ac veluti camerata eſt. Ac tres illi, ut apparent, tigilli, erecti duo, tranſverſus alter, Arcæ ipſius, meo judicio, orthographiam deſignant; quod neceſſe erat ad exhibendam interiorem ejus partem, ubi Deucalionis & Pyrrhæ collocanda ſimulacra erant: ut non ab re prorſus Arcam noſtram, θυριδωτὴν, *feneſtratam*, ut eam, cujus mentio apud Pollucem appellare liceat. Jam verò exhibita inferiùs aquarum ſpecies, quibus innatantem Arcam cernere eſt, annon conjecturæ noſtræ ita ſuffragatur, ut vel ex hoc uno eam æquis lectoribus me probaſſe, jure poſſim contendere? Verùm nulla repręſentati hîc Deucalionei Cataclyſmi illuſtrior nota, quàm binæ illæ columbæ, quarum altera Arcæ vertici inſidet, altera oleæ ramum, ut tua etiam atque aliorum fert opinio, unguibus tenens, Arcam versùs volatu ferri videtur. Quo nihil appoſitè magis fieri poterat ad exprimendam, ſeu veriùs ob oculos ponendam duplicem columbæ miſſionem à Deucalione factam, quam in hunc modum refert Plutarchus.

in Equit.

lib. 10. c. 31.

de ſolert. Animal.

Οἱ μὲν οὖν μυθολόγοι τῷ Δευκαλίωνί φασι περιστερὰν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην, δήλωμα γενέσθαι χειμῶνος μὲν εἴσω πάλιν ἐνδυομένην, εὐδίας δὲ ἀποπτᾶσαν. *Sanè qui fabulas narrant, ii columbam aiunt ex arca emiſſam, Deucalioni certum indicium detuliſſe tempeſtatis, cùm rurſus ingrederetur; ſerenitatis verò, cùm avolaſſet.* Illud namque à columba ſupra arcam quieſcente ſignificatur; hoc à referente ramum, qui dilabentium aquarum indicio fuit. Cęterùm ſimulacra, quæ in Arca ſunt, Deucalionis & Pyrrhæ eſſe, adeò poſt ea quæ diximus, res ipſa clamare videtur, ut vix monitore, nedum interprete, opus ſit. Illud potiùs animadverſione dignum, quorſum pertineant utriuſque extra Arcam icones. Quando autem etiam hariolari in re obſcura licet, conjecturam, ſeu veriùs ſuſpicionem de ipſis meam proponere minùs verebor, Deucalionem ſcilicet ac Pyrrham nihil aliud fortaſſe hoc loco agere, quàm ex Themidis oraculo magnæ parentis poſt tergum oſſa jactare, ut cum Ovidio loquar. Certè figurarum geſtus is eſt, ut non malè ei tribui poſſit, qui aliquid poſt tergum projecturus ſit, in nummo pręſertim, qui non ita peritum ac diligentem artificem ſortitus fuerit. Adde, quòd prętermittendum minimè eſt, velatum Pyrrhæ caput, ut in iis Themidis pręcipitur apud Ovidium.

Et velate caput, cinctaſque reſolvite veſtes, Metam. 1.
Oſſaque poſt tergum magna jactate parentis.
Quod tamen in Deucalione minimè obſervatum, ac contrarium etiam in Pyrrha, quantùm ad veſtem diſcinctam attinet, ultrò fateor. Sed meminerint ii, quibus hęc minùs arriſerint, me Davum hîc, non Oedipum agere.

Jam verò hoc loco, ſi unquam alibi, patrocinio tuo mihi opus eſt, VIR DOCTISSIME, quando rem planè incredibilem, atque ab Antiquariis vix ſine riſu audiendam cogor proponere; inſcriptum nempe in Arcæ fronte ΝΩΕ nomen. Ac primùm ego te hîc teſtem appello, qui in re nummaria

——tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius:

quamvis ubi res ipſa loquitur, vix ullum teſtibus locum relictum eſſe videatur. Vidiſti ipſe non ſine admiratione in ejus, quem hîc excuſum exhibemus, archetypo literas tres, Ν, Ω, Ε; in illo verò, qui eſt Ottoboni Cardinalis, non obſcurè primam Ν: nam in Chiſio literę ęvo prorſus deletę. Vidit eos ipſos nummos Antiquariorum ſolertiſſimus, cujuſque judicio nemo non acquieſcat, Franciſcus Gottifredus. Viderunt alii etiam viri cordati atque eruditi, quorum nomina, ne hîc judicium inſtruere videar, conſultò reticeo. Ne-

que eſt cur vereatur aliquis, quòd aliter ſit in nummo Severi, (in quo Pariſienſis ectypi fidem ſequi cogor) ne hæ tres literæ integri vocabuli pars ſint, cujus reliqua in altero Arcæ latere, vetuſtate fortaſſe attrita minimè deprehenderim; illudque fortaſſe ſit, quod βουστροφηδὸν, ſeu ſiniſtrorſum, legi debeat, ΝΩΕΜΑΠΑ, pro ΑΠΑΜΕΩΝ. Nam, preterquam quòd literæ Ε & Ν, ut nunc ſunt, perversè ad eam ſcripturam eſſent collocatæ; viderint quibus hæc ſuſpicio occurrat, num id, quod in fronte Arcæ ſupereſt ſpatii, quatuor, ut opus eſſet, integras literas, ΑΠΑΜ capiat: diſcantque interim à me, teſtimonio tuo atque aliorum, qui nummum à me ſuper hac re conſulti inſpexerunt, in altera Arcæ parte nihil minus, quàm literæ alicujus veſtigia apparere. Hæc de re ipſa prefati, illos qui in Diſſertatione noſtra hunc nummum inſpecturi ſunt, tantiſper judicium ſuſtineant rogamus, dum, quod ſpero, conſequemur, nos hîc non omnino fruſtra fuiſſe oſtendamus. Neque verò ipſi pro ſua eruditione atque doctrina negabunt, opinor, quod ex Chriſtianis autoribus, qui adversùs Gentes ſcripſerunt, manifeſtum eſt, Barbaros, atque ipſos etiam Grecos, plurima ex Judaïcis antiquitatibus, éque ipſis ſacris Bibliis tranſtuliſſe ad ſuperſtitiones ſuas, ac ſacra, colore veluti aliquo religionis, aut

conſenſu ſaltem antiquitatis commendanda. Mitto, exiſtimaſſe Clementem Alexandrinum, Numam Romanorum Regem, illum Moſis è ſcriptis fructum cepiſſe, ut Romanos à Dei ſimulacro, vel in hominis, vel in cujuſpiam animantis ſpeciem fingendo averteret. Mitto etiam, quod, ex eodem Clemente, Ariſtobulum Peripateticum ſenſiſſe video, Platonem Hebrçorum leges atque inſtituta curiosè diligenterque inveſtigaſſe, ac planè excuſſiſſe: Numenium Philoſophum itidem apud Clementem, nihil aliud Platonem eſſe contendere, quàm Moſem Atticâ linguâ loquentem. Atque, ut propiùs in rem noſtram deſcendam, quæ de Gigantibus commenti ſunt veteres Mythologi, non aliunde originem duxiſſe, quàm ex iis, qui ex Angelorum Dei cum filiabus hominum concubitu nati ſunt filii, haud obſcurè innuit Joſephus. De Turris autem Babylonicæ ædificatione non ſolùm diſertum Sibyllæ teſtimonium profert Joſephus idem; ſed Abydeni etiam atque Eupolemi antiquorum ſcriptorum, ex Alexandro Polyhiſtore Euſebius. Verùm hæc trita quidem, ac vulgò paſſim obvia. Illa non item, quæ de rebus è ſacra Hiſtoria ad Gentium mythologiam traductis animadverterunt Viri docti. Nam in uno Baccho, mirum quot quantaque ad Moſaïcorum geſtorum ſimilitudinem conficta in

lib. 1. Strom.

lib. 1. Antqu. cap. 4.

ibid. 5.

Præp. Evang. lib. 9. cap. 14.

veterum monimentis deprehenderunt. Ipſum nempe in Ægypto natum, ſtatimque arcæ incluſum, atque in aquas projectum. Ad hæc, aquam ab ipſo, percuſsâ thyrſo petrâ, eductam, flumina itidem thyrſi ope exſiccata, ac trajecta; quodque animadverſione dignius, ab autore Hymnorum, qui Orphei nomine circunferuntur, Bacchum, & Μίσιω, pro *Moſe*, & θεσμοφόρον, *legiferum* fuiſſe appellatum, & bifidas etiam in vertice comas habuiſſe; quemadmodum & Moſes, vulgò corniger: ne quid dicam de baculo hederaceo à Baccha in ſerpentem verſo, deque offuſis apud Indos tenebris, dum Bacchæ interim luce fruerentur; quæ ſanè nonniſi ex antiquioribus Mythologis Nonnus in Dionyſiaca tranſtulit. Inſignia quoque ſunt ad hunc locum quæ habet Pauſanias, Eurypilum, cùm Arcam Libero ſacram recluſiſſet, in qua ejus ſimulacrum aſſervabatur, eo viſo ſtatim mente excidiſſe; quod ex illo Samuelis eſt 6. 19. ubi Betſemitas à Deo percuſſos legitur, quòd in Arcam introſpicere auſi eſſent. Omnino verò ad plagam à Philiſthinis in Hæmorrhoidibus acceptam ob Arcam neglectam illa expreſſa ſunt, quæ de Phallos Baccho dedicandi origine è fabulis deprompta venditat Ariſtophanis Scholiaſtes, Athenienſes ob ſpreta Bacchi myſteria in pudendis morbo correptos, non antea

in Acharnen.

ab eo convaluiſſe, quàm Phallos, hoc eſt illarum partium icones, in quibus Numinis iram experti fuerant, ipſi ſacraſſent. Sed & illuſtria Veteris Teſtamenti nomina profanis diverſarum gentium ſcriptoribus innotuiſſe nemo ſanè ignorare poteſt, qui prętcr vulgata illa de Moſe apud Diodorum, Tacitum, Juſtinum alioſque, nonum Euſebii librum de Præparatione Evangelica legerit, in quo ille, cùm de Abrahami rebus geſtis Hecatæum juſtum volumen ſcripſiſſe tradit; tum verò Jacobi, Joſephi, Jobi, Davidis, Salomonis, Jeremiæ Prophetæ mentionem fieri apud antiquos ſcriptores, Beroſum, Demetrium, Ariſtęam, Artapanum, Theodotum, Eupolemum, Alexandrum Polyhiſtorem, Nicolaum Damaſcenum, Melonem, Philonem, Abydenum, Megaſthenem, ex eorundem monimentis oſtendit. Generatim verò antiquitatum Hebraïcarum veſtigia extare in Syrorum, Chaldæorum, Phœnicum hiſtoriis refert Joſephus: quarum hiſtoriarum autores nominat, Theophilum, Theodotum, Mnaſeam, Ariſtophanem, Hermogenem, Euhemerum, Cononem, ac Zopyrionem. Jam verò Noëmici Diluvii, Noëque ipſius, Arcæ ligneæ beneficio ſervati meminiſſe prętcr Beroſum, Hieronymum quoque Ægyptium, ac Nicolaum Damaſcenum, teſtatur Joſephus idem. Quin ut Diluvium Noë

lib. 1. adv. Ap.

Antiq. lib. 1. cap. 4.

Medis & Aſſyriis ſcriptoribus haud ignotum fuiſſe probet, profert Euſebius luculentum Abydeni teſtimonium, quod, quandoquidem lepidam ob aniles aſſutas fabulas Diluvii narrationem continet, huc adſcribere non abs re futurum exiſtimo.

Præp. Evang. lib. 9. cap. 12.

Μεθ' ὃν ἄλλοι τε ἦρξαν, καὶ Σείσιθρος ᾧ δὴ Κρόνος προσημαίνει μὲν ἔσεσθαι πλῆθος ὄμβρων Δεσίου πέμπτῃ ἐπὶ δέκα, κελεύει δὲ πᾶν ὅτι γραμμάτων ἦν ἐχόμενον, ἐν Ἡλίου πόλει τῇ ἐν Σιππάροισιν ἀποκρύψαι. Σείσιθρος δὲ ταῦτα ἐπιτελέα ποιήσας, εὐθέως ἐπ' Ἀρμενίους ἀνέπλεε, καὶ παραυτίκα μιν κατελάμβανε τὰ ἐκ Θεοῦ. τρίτῃ δὲ ἡμέρῃ ἔπειτα ὧν ἐκόπασε, μετίει τῶν ὀρνίθων πεῖραν ποιούμενος, εἴκου γῆν ἴδοιεν τοῦ ὕδατος ἐκδῦσαν, αἱ δὲ ἐκδεχομένου σφέας πελάγεος ἀχανέος, ἀπορέουσαι ὅκη κατορμίσονται, παρὰ τὸν Σείσιθρον ὀπίσω κομίζονται, καὶ ἐπ' αὐτῇσιν ἕτεραι, ὡς δὲ τῇσι τρίτῃσιν εὐτύχεεν, ἀπίκατο γὰρ δὴ πηλοῦ κατάπλεοι τοὺς ταρσοὺς θεοί μιν ἐξ ἀνθρώπων ἀφανίζουσιν. Τὸ δὲ πλοῖον ἐν Ἀρμενίῃ περίαπτα ξύλων ἀλεξιφάρμακα τοῖσιν ἐπιχωρίοισι παρεῖχε. *Huic tum alii plerique, cùm etiam Siſithrus in Imperio ſucceſſit, cui cùm Saturnus imbrium vim maximam decimoquinto menſis Deſii fore prædixiſſet, & quicquid literis comprehenſum erat, id totum apud Heliopolim Sipparorum occultari ſeponique juſſiſſet, & is Dei mandatis obſequutus, continuò navigationem Armenios versùs inſtituit, in qua repentino divinæ prædictionis eventu occupatur. Tertio autem die, quàm tempeſtas remitti cœperat, aves emittit explorandi gratiâ ſicubi terram undis emerſam atque exiſtentem viderent.*

Quæ

Quæ cùm immenſum in pelagus incidiſſent, nec quò ſuccederent omnino quicquam occurreret, ad Siſithrum denuò revolarunt, aliæque poſtea ſimiliter emiſſæ. At cùm tertiò idem feciſſet, votique compos evaſiſſet, (quippe volucres alis limo plenis redierant) illicò Deorum numine, hominum ſocietati oculiſque ſubducitur; navigium autem ad Armeniam appulſum, amuleta ſuis è lignis confecta, quæ de collo ſuſpenſa geſtarent, indigenis ſuppeditavit. Nonne vides hîc, VIR DOCTISSIME, Moſaïcæ veritatis manifeſta veſtigia in iis, quæ noſter de avium miſſione ac reditu, deque Arcæ, cujus ille loco, ut Beroſus quoque, navigium finxit, ad Armeniæ montes appulſu? ut meritò Siſithrum hunc eundem cum Noë fuiſſe, ita fortaſſe Aſſyrio vocabulo appellatum crediderit, qui hunc ipſum Abydeni locum profert in libris adversùs Julianum, Cyrillus Alexandrinus. Nonne egregia inſerta commenta de prænunciato à Saturno Diluvii die, datiſque Siſithro mandatis de recondendis in urbe Heliopoli literarum monimentis? Obſervatu etiam digna mihi videntur, quæ de amuletis è ligno Arcæ ab Armeniis ſibi comparatis refert, quod etiam de bitumine ab ea abraſo narrat Beroſus apud Joſephum. Diluvii item hiſtoriam, licèt haud adeò prolixam legere eſt apud Euſebium, ex Melone in Opere adversùs Judæos: *Lib. 1. Antiqu. cap 4.* *Præp. Evang. lib 9. cap. 19*

Κατὰ τὸν κατακλυσμὸν ἀπὸ τῆς Αρμενίας ἀπελθεῖν τὸν περιλειφθέντα ἄνθρωπον μετὰ τῶν υἱῶν ἐκ τῶν ἰδίων ἐξελαυνόμενον ὑπὸ τῶν ἐγχωρείων· διανύσαντα δὲ τὴν μεταξὺ χώραν ἐλθεῖν εἰς τὴν ὀρεινὴν τῆς Συρίας οὖσαν ἔρημον. *Virum quendam, qui cum filiis diluvium effugerat, ab indigenis Armeniâ pulſum, ædibuſque ac poſſeſſionibus ejectum ſuis, intermediam regionem tranſgreſſum, in deſertos Syriæ montes ſeceſſiſſe.* Ubi animadvertas velim quæ de homine illo ignoto ex Armenia profugo, atque in Syriam montanam, eamque incultam ac inhabitabilem ſe recipiente, hîc narrantur. Illa enim non contemnendæ ſuſpicioni aditum patefaciunt, ex hac recepta apud Syros opinione invaluiſſe poſtmodum, fabulis ſubinde irrepentibus, tam magnam Diluvii memoriam, quantam ex Luciano inferiùs videbimus; idque ob rei ipſius magnitudinem, aut quòd eam fortaſſe Syriæ partem, quæ deſerta hîc dicitur, ab eo primùm excultam, aut inſigni aliquo hujuſmodi beneficio affectam crederent ejus regionis incolæ. Illum verò non alium fuiſſe, quàm Noë, Syrus ſcriptor credidit Nicolaus Damaſcenus. Ejus de hac re verba ex libro 96. hæc extant apud Joſephum. Ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Αρμενίαν Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι, καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι, καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι· γένοιτο δ'

lib 1. Antiqu. ca. 4.

αἳ ἐπὶ ὀλίγα καὶ Μωϋσῆς ἀνέγραψεν ὁ τῶν Ιουδαίων νομοθέτης. *Eſt ſuper regionem Minyarum magnus mons in Armenia, nomine Baris, in quo multos profugos Diluvii tempore ſervatos ferunt, & quendam arcá vectum in hujus vertice hæſiſſe, ac reliquias lignorum ejus longo tempore duraviſſe; qui fortaſſe is fuit, de quo etiam Moſes ſcribit Judæorum legiſlator.* Quod verò hîc Nicolaus Damaſcenus tradit, reliquias lignorum Arcæ diu perduraſſe, mirificè facit ad illa Chryſoſtomi, Oratione de Perfecta Charitate: Οὐχὶ καὶ τὰ ὄρη μαρτυρεῖ τῆς Αρμενίας, ἔνθα ἡ κιβωτὸς ἱδρύθη; οὐχὶ καὶ τὰ λείψανα αὐτῆς ἕως νῦν ἐκεῖ σώζεται πρὸς ἡμετέραν ὑπόμνησιν; *Nonne etiamnum* (Diluvium) *Armeniæ montes teſtantur, ubi conſtitit Arca? nonne hodieque ibi ſervantur ejus reliquiæ ad noſtram commonefactionem?* Eadem ante Chryſoſtomum de Arcæ reliquiis teſtatus eſt his verbis Theophilus Antiochenus in libris ad Autolycum, ſi modò is ejus operis autor eſt. ἧς κιβωτοῦ τὰ λείψανα μέχρι τοῦ δεῦρο δείκνυται εἶναι ἐν τοῖς Αραβικοῖς ὄρεσιν· *Arcæ hujus reliquiæ adhuc durare perhibentur in montibus Arabicis*, ſeu veriùs *Armenicis*, ut apud Theophilum reponendum cenſuit Bochartius.

tom. 6. edit. Savil. pag. 748.

lib. 3.

in Geograph. Sac.

Hæc ſanè ad oſtendendam non abſurdam in nummo hoc noſtro inſcriptionem Noëmici nominis apud æquos lectores ſufficere videantur. Ex iis namque veriſimile fit obſcuram confuſamque

fabulis Noë ipſius notitiam, aut certè famam in Syria obtinere potuiſſe, ſeu ob Armeniæ provinciæ vicinitatem, in quam vel Syrorum ſcriptorum teſtimonio delatum Arcâ Noë Syri haud ignorarunt; ſive quòd Noë tanquam alicujus magni nominis viri apud eos memoria invaluiſſet: quemadmodum (ut in re haud diſſimili non alieno exemplo utar) *inter optimos, electos, & animas ſanctiores* CHRISTUM & Abrahamum cenſuit Alexander Severus, atque utriuſque effigiem in Larario habuit, teſte Lampridio in ejus Vita. Quæ quidem Noë fama eò faciliùs apud Syros diſſeminari potuit, quòd Syriâ universâ (ut eſt apud Joſephum) à Davide, victo Damaſcenorum Rege Adado, in ditionem ſuam redactâ, vectigalique redditâ, conſentaneum, immo planè neceſſarium fuit, in devictam gentem unà cum imperio, Hebraïcarum quoque rerum notitiam propagatam. Cujus etiam rei argumento eſſe poſſit inſita, ut vidimus, animo Syri Imperatoris, Abrahami ſacra quædam, ut cum Quintiliano loquar, memoria, quam ille, ut par eſt credere, à majoribus acceptam coluit. Nam & Abrahamum Damaſci regnaſſe tradit Nicolaus Damaſcenus, ejuſque nomen ſuâ etiam ætate celebre fuiſſe apud Damaſcenos, apud quos & vicum oſtendi, quem vocarent Abrahami Domicilium. Ac, quod obi-

lib. 1. Antiqu. cap. 4.

ter obſervo; Alexandrum Severum erga ritus Judaïcos proclivem fuiſſe, ex eo haud perperam fortaſſe quiſpiam conjiciat, quòd is, ut eſt apud Lampridium, ab Antiochenſibus atque Alexandrinis convicii loco, *Archiſynagogus* fuerit appellatus. Archiſynagogi quippe ſacerdotium, proprium ac peculiare Judæorum habitum fuiſſe, haud dubiè colligitur ex Epiſtola Hadriani ad Phlegontem apud Vopiſcum in Saturnino, in qua hæc ille. *Nemo illic* (de Ægypto loquitur) *Archiſynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum Preſbyter, non Mathematicus, non Haruſpex, non Aliptes.* Hæc, inquam, omnia ad conjecturam noſtram fulciendam ſuffectura videantur apud eos, qui faciliori ingenio ſunt. Verùm ut ſeverioribus etiam atque emunctioris naris ſatis, ut poſſumus, faciamus, addemus quæ circa Noë ac Deucalionis nominum analogiam atque, ut ita dicam, ſynonymiam graviſſimos ſcriptores tradidiſſe comperimus. Primus conjecturæ noſtræ autoritatem faciat, qui Chriſtianam Religionem non tam eloquentiâ atque doctrinâ, quàm ſanguine tutatus eſt, Juſtinus. Inquit ille ad gentes: Ὅθεν καὶ ἐπιμένει ὁ Θεὸς τὴν σύγχυσιν καὶ κατάλυσιν τοῦ παντὸς κόσμου μὴ ποιῆσαι, ἵνα καὶ οἱ φαῦλοι ἄγγελοι, καὶ δαίμονες, καὶ ἄνθρωποι μηκέτι ὦσι, διὰ τὸ σπέρμα τῶν Χριστιανῶν, ὃ γινώσκει ἐν τῇ φύσει ὅτι αἴτιόν ἐστιν. Ἐπεὶ εἰ μὴ τοῦτο ἦν, οὐκ ἂν οὐδὲ ὑμῖν *Apolog. 1.*

ταῦτα ἔτι ποιεῖν, καὶ ἐνεργεῖσθαι ὑπὸ τῶν φαύλων δαιμόνων δυνατὸν ἦν, ἀλλὰ τὸ πῦρ τὸ τῆς κρίσεως κατελθὸν, ἀνέδην πάντα διέκρινεν, ὡς καὶ πρότερον ὁ κατακλυσμὸς μηδένα λιπὼν, ἀλλ' ἢ τὸν μόνον σὺν τοῖς ἰδίοις παρ' ἡμῖν καλούμενον Νῶε, παρ' ὑμῖν δὲ Δευκαλίωνα. *Quocirca Deus confuſionem & interitum totius mundi, per quem mali angeli, & dæmones, & homines non amplius extent, fieri nondum permittit, propter ſemen Chriſtianorum, quod naturæ rerum cauſſam eſſe novit. Abſque eo enim ſi eſſet, fieri haud quaquam poſſet, ut vos adhuc iſta faceretis, & à pravis dæmoniis ita agitaremini; verùm deſcendens judicii ignis, omnia propalam dijudicaret: ſicut antea quoque diluvium neminem reliquum faciens, præter unum cum ſuis, apud nos cognominatum Noë, apud vos autem Deucalionem.* Juſtinum excipiat Hebraïcarum rerum peritiſſimus Philo, quem ita diſſerentem audire, operæpretium eſt. Ἠξίωσε γὰρ ὁ ποιητὴς τὸν αὐτὸν καὶ τέλος γενέσθαι τῆς κατακρίτου γενεᾶς, καὶ ἀρχὴν τῆς ἀνυπαιτίου, διδάσκων τοὺς ἀπογνόντας τὴν εἰς τὸν κόσμον λέγοντας ἔργοις, οὐ ῥήμασιν, ὅτι καθ' ὃν εἰσηγήσατο νόμον ἐν τῇ φύσει τῶν ὅλων, αἱ σύμπασαι μυριάδες ἀνθρώπων μετ' ἀδικίας, ἑνὸς ἀνδρὸς οὐκ ἄξιαι, δικαιοσύνῃ συμβιοῦντος. Τοῦτον Ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, Χαλδαῖοι δὲ Νῶε ἐπονομάζουσιν, ἐφ' οὗ τὸν μέγαν κατακλυσμὸν συνέβη γενέσθαι. *Voluit enim Conditor rerum omnium, ut idem homo, & damnati generis eſſet finis, & initium innoxii, eos qui providentiam negant docens rebus magis quàm verbis, quòd juxtà legem naturæ,*

lib. de Præm. & Pœn.

ſe autore, proditam, innumerabiles mortales injuſti, indigni ſunt qui cum uno homine cum juſtitia vivente, conferantur. Hunc Græci Deucalionem, Chaldæi Noë nominant, cujus ætate ingens diluvium accidit. Noë nomen Chaldaïcæ linguæ vocabulum diſertè tradit hîc Philo; quod ſanè notandum: nam & hoc facit ad id aſtruendum, quod paulò antè dicebamus de veriſimili apud Syros hujus nominis notitia. Sed omnium apertiſſimè mihi ſuffragatur, quem jam citavimus, Theophilus *lib. 3.* Antiochenus, cujus in libris ad Autolycum diſertum eſt de hac re teſtimonium. Νῶε καταγγέλλων τοῖς ἀνθρώποις μέλλειν κατακλυσμὸν ἔσεσθαι, προεφήτευσεν αὐτοῖς, λέγων· Δεῦτε, καλεῖ ὑμᾶς ὁ Θεὸς εἰς μετάνοιαν. Διὸ οἰκείως Δευκαλίων ἐκλήθη. *Noë mortalibus diluvium prædixit hortans: Venite, Deus ad pœnitentiam vos vocat. Inde propriè Deucalion* ἀπὸ τοῦ καλεῖν, *id eſt vocando, dictus eſt.* Ubi Græcorum morem non obſcurè agnoſcere licet, peregrina nomina in notiora ac Græcis auribus accommodatiora commutandi, quem quidem, tanquam ipſorum proprium Joſephus olim animadvertit: poſt narratam enim poſterorum Noë per univerſum terrarum Orbem diſperſionem, hæc ſubdit. *lib. 1. Antiqu. cap. 6.* Καὶ τῶν ἐθνῶν ἔνια μὲν διασώζει τὰς ὑπὸ τῶν κτισάντων κειμένας προσηγορίας, ἔνια δὲ καὶ μετέβαλον· ἃ δὲ καὶ πρὸς τὸ σαφέστερον εἶναι δοκοῦν τοῖς παροικοῦσι τύπον ἔλαβον, Ἕλληνες δ' εἰσὶν οἱ τούτου καταστάντες αἴτιοι. ἰσχύσαντες γὰρ

ἐν τοῖς ὕστερον ἰδίαν ἐποιήσαντο, καὶ τὴν πάλαι δόξαν, καλλωπίσαντες τὰ ἔθνη τοῖς ὀνόμασι πρὸς τὸ συνετὸν, αὐτοῖς, καὶ κόσμον θέμενοι πολιτείας ὡς ἂν ἀφ' αὐτῶν γεγονόσιν. *Porrò gentium quædam adhuc ſervant derivatam à ſuis conditoribus appellationem, quædam etiam mutaverunt: nonnullæ in familiarem accolis & notiorem vocem ſunt verſæ, Græcis potiſſimum talis nomenclaturæ autoribus. Hi enim poſterioribus ſæculis veterem locorum gloriam ſibi uſurpaverunt, dum gentes nominibus ſibi notis inſigniunt, dumque tanquam ad ſuum jus attinerent, mores quoque proprios in illas invehunt.* Quod verò in gentium ac populorum appellationibus fieri ſolitum à Græcis narrat Joſephus, id quoque in nominibus propriis perſonarum, illuſtrium prçſertim, ab iiſdem factitatum probabile eſt. Atque hæc quidem de inſcripto in nummo hoc noſtro Apamenſi Noë nomine, de quo maluimus minùs fortaſſe cuipiam probabiliter, quàm nihil omnino dicere: quod ſanè fieri ſine nota, in re adeò ſingulari, atque in nummis hactenus inaudita vix potuiſſet. Cæterùm de eo ſtatuere cur illud in fronte Arcæ poſitum, atque utrumne, quod aliquis fortaſſe ex hoc ipſo contendat, Noë etiam Diluvium hîc reprçſentetur, integrum cuique relinquimus. Mihi certè arridet magis ob ea quæ inferiùs dicentur, ad Deucalionis & Pyrrhæ Cataclyſmum in nummo noſtro alluſum fuiſſe;

aut

aut ſaltem (quod in idem recidit) confusâ apud Syros inanibus figmentis antiquâ veritatis traditione, Noë Diluvium ad Deucalioneæ fabulæ ſpeciem ab Apamenſibus expreſſum.

Supereſt nunc, ut quid hæc Deucalionei Cataclyſmi repręſentatio ad Apameam Syriæ attineat, paucis oſtendam. Lucianus itaque (nam rei hujus origo paulò altiùs repetenda) in eo, quod ſuperiùs citavimus, Syntagmate de Dea Syria, quo Hierapolitani Templi non minùs antiquitate quàm religione celeberrimi hiſtoriam fusè perſequitur, inter alias, quæ de ejus conditoribus apud Hierapolitanos opiniones ferebantur, illam quoque extitiſſe narrat, Deucalionem, cujus temporibus aquarum diluvium fuerat, Templum illud dedicaſſe; idque ut faceret, ei occaſionem prębuiſſe, quod ipſi etiam incolæ Sacræ Civitatis memorabant, eò loci, ubi exſtructum deinde Templum, ingentem olim voraginem factam, quæ univerſam Diluvii aquam abſorbuerit: hanc ſupra exſtruxiſſe Deucalionem ædem Junoni ſacram, quo etiam nomine ab ipſis Dea illa Syria colebatur. Similis apud Pauſaniam fabula de hujuſmodi voragine in Templo Jovis Olympici Athenis, ut vulgò credebatur, à Deucalione exſtructo, in quam etiam univerſam Diluvii aquam defluxiſſe fama erat, ac neſcio cujus religionis *in Attic.*

ritu, quotannis placenta è melle & farina projiciebatur. Ut verò ad Lucianum redeamus, quid in ejus, quam diximus, rei memoriam ab Hierapolitanis fieri ſolitum eſſet, narrat his verbis. Δὶς ἑκάστου ἔτεος ἐκ θαλάσσης ὕδωρ ἐς τὸν νηὸν ἀπικνέεται. Φέρουσι δὲ οὐκ ἱρέες μοῦνοι· ἀλλὰ πᾶσα Συρίη, καὶ Ἀραβίη, καὶ πέρηθεν τοῦ Εὐφρήτεω, πολλοὶ ἄνθρωποι ἐς θάλασσαν ἔρχονται, καὶ πάντες ὕδωρ φέρουσι, τὸ πρῶτα μὲν ἐν τῷ νηῷ ἐκχέουσι. μετὰ δὲ, ἐς τὸ χάσμα κατέρχεται, καὶ δέχεται τὸ χάσμα μικρὸν ἐὸν ὕδατος χρῆμα πολλόν. Τὰ δὲ ποιέοντες, Δευκαλίωνα ἐν τῷ ἱρῷ τόνδε νόμον θέσθαι λέγουσι, συμφορῆς τε καὶ εὐεργεσίας μνῆμα ἔμμεναι. *Bis quotannis ex mari aqua in ædem defertur; quam non Sacerdotes modò ferunt, ſed tota Syria, & Arabia, & qui trans Euphratem habitant, multi homines ad mare veniunt, indeque omnes aquam afferunt, quam in ædem primùm effundunt: deinde ea in hiatum delabitur; ab eo quamvis parvo ingens copia recipitur. Qui hæc faciunt, Deucalionem eo in templo legem hanc tuliſſe dicunt in calamitatis & beneficii monumentum.* Verùm tum ejus Cataclyſmi, tum ipſius etiam Deucalionis, alia quoque in Hierapolitano Templo monumenta extabant. Namque & ii, qui coloſſeos illos trecentarum ulnearum priapos, quos Bacchus in veſtibulo Templi dedicaſſe dicebatur, quotannis certis temporibus aſcendebant, ac dies ſeptem, ita religione ſuadente, in eorum apicibus commorabantur, id Deucalionis

gratiâ facere à nonnullis exiſtimatum refert Lucianus idem, in memoriam calamitatis. Οκότε οἱ ἄνθρωποι ἐς τὰ οὔρεα καὶ ἐς τὰ περιμήκεα τῶν δενδρέων ἤεισαν, τὸ πολλὸν ὕδωρ ὀρρωδέοντες· *Quando homines in montes & in altiſsimas arbòres aſcenderunt, aquarum inundationem metuentes.* His illa etiam addenda, de aureo ſigno, quod in interiore Templi parte medium inter ſimulacra Jovis & Junonis poſitum erat; quodque alii quidem ad Bacchum, alii ad Semiramidem, alii verò ad Deucalionem certiori, ni fallor, conjecturâ referebant. Vetuſtiorem quippe originem, quàm Semiramidis temporibus conveniat, illamque Deucalionei planè ævi, quod propter obſcuritatem ἄδηλον à veteribus Chronologis appellatur, ea redolere videntur, quibus ſignum illud deſcribit Lucianus, digna ſanè, quæ ſilentio minimè prætereantur. Sic inquit ille: Εν μέσῳ δὲ ἀμφοτέρων ἕστηκε ξόανον ἄλλο χρύσεον, οὐδαμὰ τοῖσι ἄλλοισι ξοάνοισι εἴκελον. τὸ δὲ, μορφὴν ἰδίην οὐκ ἔχει, φορέει δὲ τῶν ἄλλων Θεῶν εἴδεα· καλέεται δὲ σημήιον καὶ ὑπ᾽ αὐτῶν Ασσυρίων. οὐδέ τι ὄυνομα ἴδιον αὐτῷ ἔθεντο, ἀλλ᾽ οὐδὲ γενέσιος αὐτοῦ πέρι, καὶ εἴδεος λέγουσι. *Porrò in utriuſque medio* (Jovis nempe ac Junonis) *ſtat ſimulacrum aliud aureum, ſimulacris aliis nequaquam ſimile, quod formam propriam non habet, ſed aliorum Deorum formam gerit: & ab ipſis etiam Aſſyriis vocatur Signum; nec dum ipſi proprium nomen impoſuere: ſed neque de*

generatione ipſius, *neque de ſpecie quicquam dicunt.* Quod verò columbam ſigni illius vertici inſidentem ii opponerent, qui id ſimulacrum ad Semiramidem pertinere exiſtimabant, non certum adeò ejus rei indicium erat, ut ad Deucalionem etiam referri non poſſet. Scio equidem Semiramidem columbæ ſpecie ab Aſſyriis coli ſolitam; quod etiam nominis Græcè, περιστερὰ ὄρειον, *columbam montanam* ſignificare tradit Heſychius, reclamante tamen Scaligero in Euſebianis: verùm ex hoc ipſo contrarium potiùs colligi, meo quidem judicio, potuiſſe videtur. Nam ſi columbæ ſpecie Semiramis ab Aſſyriis colebatur, haud ritè ſatis ac rectè ſignum illud Semiramidem repræſentare videri poterat, in quo ſcilicet columba non primas partes obtineret, ſed tanquam rei alterius ſignum eſſet. Neque enim arbitror, ſi aut noctuæ ſpecie Minervam, aut pavonis Junonem veteres coluiſſent, rectè ad eorum Theologiam is feciſſet, qui harum Dearum ſimulacris noctuam aut pavonem in vertice appoſuiſſet, quas numinibus iis deſignandis adhibere conſuetum eſſet. Simulacri etiam virilis ſpecies, quæ Baccho aut Deucalioni quadraret, Semiramidem vix aptè referre poterat. Contrà verò Deucalionem à columba vertici inſidente deſignari probabile eſt, ob inſignem operam ab ea Deucalioni navatam, in de-

pag. 37.

ferendo dilabentium aquarum indicio ; eòque etiam fortaſſe ſpectabat, quòd Galli, qui Deæ ſacra adminiſtrabant, columbam, χρῆμα ἱρώτατον, *rem ſanctiſſimam*, ut Luciani verbis utar, haberent, quam neque tangere æquum exiſtimarent; ac ſi inviti tetigiſſent, eo die, ἐναγέες, *execrabiles* haberentur. Sed hæc ambigua forſitan, quæque in utramvis partem accipi poſſint : illud ad Deucalionem id ſimulacrum pertinere non obſcurum indicium, quod in ea ipſa pompa, quâ bis quotannis aqua è mari ad Templum deferebatur, ſignum iſtud portaretur. Quid enim Baccho aut Semiramidi commune cum Diluvio, in cujus ἀνάμνησιν id fieri ſolitum, ex Luciano didicimus? Ex his ergo omnibus manifeſtum eſt, ingentem in celeberrimo illo Deæ Syriæ Templo, Deucalionis ac Diluvii, quod ſub ipſo fuit, memoriam viguiſſe. Quàm verò magna fuerit ejus Templi religio, quàmque latè propagata apud finitimas nationes, hinc conjicere licet, quòd & inde Hierapoli nomen, hoc eſt Sacræ Urbi, factum ſit ei, quæ aliàs Plinii teſtimonio Bambyce, Strabonis *lib. 5. cap. 23.* verò etiam Edeſſa appellata; tum etiam ex iis, *lib. 16.* quæ de ejus donariis atque opibus, deque incredibili gentium ad illud concurſu, occaſione annuarum celebritatum, Lucianus memorat. Quamobrem vix dubium eſſe poſſit, quin ejuſdem

Templi religiones ac ſacra in diverſas regiones fuerint tranſlata; ne dum Apameam, quę in eadem provincia erat, atque ab Hierapoli non longè diſtans. Quin & à vero non ita prorſus aberrarit, qui alias quoque hujus nominis urbes (harum namque tres aliæ à Stephano recenſentur) à celeberrima illa Syriæ, ſacra ſimul ac nomen mutuaſſe arbitretur. Quicquid enim ſit de illis duabus, quarum unam in Creta, alteram in Caria ponit Stephanus, illam certè, quæ inter Phrygiam & Lydiam dicitur, quæque, utpote fontium copiâ, ac lanarum tincturâ nobilis à Strabone laudatur, ejus quæ in Syria erat veluti coloniam fuiſſe, non contemnendum indicium eſt, quòd in ejus deſcriptione Gallos, tanquam templi neſcio cujus miniſtros Strabo idem memoret, quales in Hierapolitano illo Deæ Syriæ fuiſſe ex Luciano audivimus. Hujus profectò Sacrorum inter diverſas urbes communionis non rara in antiquitate exempla reperire eſt. Cereris myſteria eodem ritu, quo Eleuſine, peragi ſolita apud Pheneatas, teſtis Pauſanias; Eleuſina verò eadem cum Samothraciis fuiſſe, aut altera ex alteris deducta, liquet ex Diodoro: Samothracia in Lemnum & Imbrum propagata, Strabonis atque Euſtathii authoritate oſtendit Hieronymus Aleander. Dianæ Tauricæ ſacra non ſolùm Ariciam

lib. 13. *in Arcad.* *lib. 3. & 5.* *in Explicat. Tab. Heliacæ.*

tranſlata, quod notiſſimum eſt; ſed Spartam quoque in vicum Limnæum, & alibi in Cappadocia & Ponto: qua de re inſignis extat Pauſaniæ locus in Laconicis. De Perſica verò eruditè, more tuo, obſervaſti, illam non modò Hierocęſareæ coli ſolitam, quod ex rariſſimo nummo Muſei tui oſtendis; ſed etiam Caſtabalis Ciliciæ oppido, Hypępis, & alibi in Lydia. Quid Jupiter ille Cretenſis, ſeu Critagenes, aut Marnus, qui cùm in Creta & Gazæ pręcipuis honoribus, tum verò à Corinthiis, Athenienſibus, Bœotiis, nomine ὑετίου ac ὀμβρίου colebatur, ut diſertè probat Triſtanus? Quid Caſius, qui & Seleuciæ Pieriæ, ut ex nummo ſatis conſtat, & apud Peluſium atque alibi multis in locis, quod Triſtanum virum eruditiſſimum non fugit? Quòd ſi à nummis exempla petenda ſint, quod ad rem noſtram magis facit, proferam è CHRISTINÆ Reginę Theſauro unum Domitiani, in quo ΠΥΘΙΟΣ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ, *Pythius Trallenſium*; idem ſanè qui diſertiùs ΑΠΟΛΛΩΝ ΠΥΘΙΟΣ in alio Neronis è Muſeo Magni Etrurię Ducis, qui ſanè ad aliquam aliam Gręcarum urbium pertinet. Proferam itidem rariſſimos ΝΙΚΑΙΩΝ in Antonino Pio, ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ in M. Aurelio, aliumque ejuſdem Auguſti inſignem, cujus inſcriptio, ΕΠΙ Μ. ΤΟΥΛΛΙΟΥ ΜΑΞΙΜΟΥ ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ,

in Plantilla num. 6.

in Trajano num. 7.

in quibus omnibus eadem Deę Syrię effigies, quę in nummis ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ Philippi, & aliorum etiam Cęſarum. Dianę verò *Venatricis* iconem, quo cognomine non uno in loco illam coli ſolitam autor Pauſanias, non ſolùm exhibebo in nummo Pergęorum Agrippinæ, in quo ΑΡΤΕΜ. ΠΕΡΓΑΙΑ, *Diana Pergæa*, & Gazæ, qui ad Fauſtinam pertinet; ſed in alio etiam Fauſtinæ ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ, & Elagabali ΕΦΕCΙΩΝ, atque in rariſſimo Agrippinæ ΑΚΜΟΝΕΩΝ, quem nuper edidit Carolus Patinus veſter. Ac demùm, ut ſemel omnia dicam, utar exemplo, quo nullum illuſtrius ſit apud eos qui in nummis verſantur, à Dianæ Epheſiæ cultu petito, cujus effigiem eâdem planè formâ, quâ in celebri illo Epheſino templo colebatur, cernere eſt in inſigni nummo Apameæ Phrygiæ, apud Triſtanum, & in ſelectis ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ in Trajano, ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ in L. Vero, CΑΜΙΩΝ in Geta & rariſſimis Auguſtarum, ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ nempe in Domitia, ΑΓΚΥΡΑC in Plotina, & ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΩC CΥΡΙΑC in Fauſtina. Neque reticebo, quando id & locus ipſe ſuadet, & opinioni noſtræ etiam ſuffragatur ſuſpicionem, quam habeo, ΟΜΟΝΟΙΑΝ illam in nummis, cujus ſuprà mentionem fecimus, aliquando ad Sacrorum communionem iſtam inter diverſas urbes ſignificandam,

in Gordiano num. 19.

ex Theſ. Reg.

candam, adhibitam fuiſſe. Moveor enim exemplo duorum ſingularium nummorum, in quorum altero, qui ad Gordianum pertinet, ΕΦΕCΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ legitur; in altero, qui ad Domitianum, ΟΜΟΝΟΙΑ CΜΥΡ. ΕΦΕCΙΩΝ. In hoc enim unica Dianæ Epheſiæ cernitur effigies; in illo verò ejuſdem ſimulacrum in navi poſitum, cui propè adſtat altera figura alata, quod ad delata Epheſo Alexandriam Deæ hujus ſacra non ineptè referri poſſe arbitror: ut contrà de Iſiacis Alexandriâ Epheſum tranſlatis accipi commodè poſſit alter Gordiani, in quo ΕΦΕCΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, & figura Iſidis velificantis, qualem etiam habet alius *Col. Iul. Cor.* in Antonino Pio, qui ſanè Corinthi quoque peculiaribus honoribus cultam fuiſſe Iſidem argumento eſt; quemadmodum apud Elaïtas etiam, quod colligere licet ex ſingulari atque eximiæ raritatis Greco nummo, qui altera quidem parte caput Romæ oſtendit, ut prodit inſcriptio, ΘΕΑ ΡΩΜΗ; alterâ verò figuram Iſidis pectore tenus expreſſam, cum inſcriptione, ΕΠΙ CΤΡ. Π. CΑΛΩΝΙΟΥ ΕΛΑΙΤ. Nihil autem magis conjecturæ noſtræ favet, quàm preclarus alter Græcus itidem nummus, cujus in anteriori parte circa Alexandri Macedonis caput, ΑΛΕΞΑΝΔΟC (ſic habent conſtanter duo quos *ex Muſ. Reg. & Chiſio.*

Mm

adhuc vidi) ΚΤΙCΤ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑC, in averſa verò figuræ duæ muliebres, quæ ſimul dextrâ templum ſuſtinent, in quo duo pariter ſimulacra cernere eſt; ut nihil illuſtrius fieri potuerit ad ſignificandam communionem ſacrorum inter duas urbes, quarum nomina habet inſcriptio, ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. Quos quidem nummos ex inſigni ac planè regio CHRISTINÆ Reginæ Muſeo, alioſque etiam, quorum ſuperiùs mentionem feci, non tam publici juris facere placuit, ut conjecturæ meæ lucem afferrem, quàm ut rei nummariæ ſtudioſis præclariſſimos nummos, ac nunquam antea editos, veluti indigitando, intactum iis campum patefacerem ad uberiorem eruditionis fructum percipiendum.

Veriſimile itaque fit illuſtrium, quos adduximus, exemplis, ab Hierapolitano Templo unà cum Deæ Syriæ ſacris ac religionibus communicari etiam cum Apamenſibus potuiſſe Deucalionei Cataclyſmi memoriam, eodem fortaſſe ritu quotannis celebrandam, quo, Deucalionis ipſius præcepto apud Hierapolitanos fieri conſueverat. Hæc ſi cuiquam non arriſerint, ille ſaltem haud negabit, opinor, rei hujus, tanquam in Syria, ob ea, quæ de Hierapolitano Templo ex Luciano attulimus, ſanè celeberrimæ repræſentationem

in Apamenſium nummis excudi facilè potuiſſe. Sed in eo fortaſſe controverſiam movebunt nonnulli, quòd cùm in nummo illo Severi, in quo eadem exhibentur, Magnetum pariter atque Apamenſium nomina legantur, Cataclyſmi hiſtoriam in numiſmatibus ſuis repræſentare, non tam Apamenſes Syriæ, quàm qui in Phrygia erant, fuiſſe ſolitos. Nam ΜΑΓΝΙΤΩΝ Phrygiæ à Strabone mentio fit, *lib. 12.* & Μαγνησίας πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ in fœdere Smyrnçorum ac Magnetum, ex illuſtri Marmore Arundelliano apud Seldenum: quocirca, *pag. 30.* cùm harum duarum urbium in eo nummo conjunctio, fœderis alicujus inter ipſas, aut, quod Vir eruditiſſimus cenſuit, coloniæ ex altera in alteram deductæ indicio ſit; utravis tandem de cauſſa id acciderit, Apamea, ad quam nummus ille pertinet, rectiùs ob Magnetum vicinitatem, Phrygiæ quàm Syriæ eſſe dicatur. Neque ego in hoc illis vehementer repugnem; addamque potiùs, quibus conjecturam ſuam confirment ſi libeat, nonnulla circa Apameam Phrygiæ obſervatione ſanè digna, quæ deliberanti mihi, Apameæ ne Syriæ, an ei quæ in Phrygia fuit, nummum hunc Philippi adjudicarem, animo ſe ſe obtulerunt. Fuit enim, cùm me ancipitem teneret cognomentum illud κιβωτοῦ, *arca*, quod à non paucis ſcriptoribus Apameæ Phrygiæ tanquam pro-

prium ac peculiare tribui videbam: cùm interim de ejus origine apud illos altum eſſet ſilentium. Neque ſatis omnino mihi, ut tum fuit, Salmaſius faciebat, cujus opinio fuit Apameam illam Κιβωτὸν fuiſſe vocatam, quòd, ut eſt apud Strabonem, emporium eſſet & receptaculum, ac velut Arca mercium communis totius Aſiæ. Namque occurrebat alioquin animo illa autoris Sibyllinorum Oraculorum carmina:

lib. 1.

Εστι δέ τις Φρυγίης ἐπὶ ἠπείροιο μελαίνης,
Ηλίβατον τανύμηκες ὄρος Αραράτ δὲ καλεῖται.
Οττ' ἄρα σωθήσεσθαι ἐπ' αὐτῷ πάντες ἔμελλον.
Εν τούτῳ μεγάλη γ' ποθὴ καταθύμιος ἦεν.
Ενθα φλέβες μεγάλου ποταμοῦ Μαρσύου πέφυκασι.

Sive, ut verſus ratio conſtet, quemadmodum legit Bochartius:

Geograph. ſac. lib. 1. cap. 3.

(Μαρσύου ἔνθα φλέβες μεγάλου ποταμοῖο πέφυκαν.)
Τοῦ δὲ κιβωτὸς ἔμεινεν ἐν ὑψηλοῖο καρήνῳ
Ληξάντων ὑδάτων.

Aſſurgit Phrygiæ mons quidam in finibus atræ
Arduus, alta petens, Ararat quem nomine dicunt,
Quòd fatale fuit illic evadere cunctis,
Optatâque frui tandem charâque ſalute:
Fluminis unde alti Marſyæ manat origo.
Hujus in excelſo poſtquam ceſſantibus undis
Conſtitit Arca jugo.

In quibus, quòd Arcæ mentio fiebat delatæ ad

montem Phrygiæ Ararat prope Mæandri fontes, adeòque non longè ab Apamea, nonnihil ſuſpicionis inciderat, ne quod urbi illi cognominis erat, Κιβωτὸς, ob veterem fortaſſe aliquam fabulam de commentitio Græcorum Cataclyſmo, ſuppoſititius ſcriptor avidè in rem ſuam arripuiſſet, ad ineruditum commentum de Arcæ Noëmicæ eò loci appulſu pro Sibyllino Oraculo venditandum. Ego verò conjecturam meam vix proponere auſus eſſem, niſi eam Viri eruditiſſimi autoritate niti poſtea cognoviſſem, cui in præclaro opere de Greographia Sacra eadem ferè placuiſſent. Cæterùm, ut idem doctè monet, atque obſervat etiam Triſtanus, mirificè hoc loco nugatus eſt noſter, ſi id credidit. Aliæ enim ſubeſſe potuerunt cauſſæ, cur Apamea illa, Κιβωτὸς fuerit appellata, quàm quòd in proximo Arca conſtitiſſet: unamque haud minùs certè iſtâ probabilem affert Triſtanus idem, quòd Apamea à tribus fluviis illam ambientibus, Marſyâ, Obrimâ, Orgâ, in arcæ modum clauderetur; quemadmodum & unus ex Alexandriæ portubus, teſte Strabone, Κιβωτὸς dictus, eò quòd ut ex ejus deſcriptione conjicere licet, undique concluſus eſſet. Tunc verò demùm de origine hujus Apameæ cognominis placere magis cœpit Salmaſii opinio, cùm hæc ipſa animo verſanti mihi, recordatio ſubiit inſignis nummi ad Ha-

lib. 1. cap. 3.

in Gordiano num. 19.

lib. 17.

ex Theſ. Reg.

drianum pertinentis, in quo figura Fluvii ſedentis inter prǽruptæ rupis ſcopulos, à quo ſine dubio Marſyam reprǽſentari, cùm ea argumento ſunt, quæ de ejus origine ex arce ſumma Celænarum tradunt ſcriptores, tum verò apertè prodit nummi ipſius inſcriptio, ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΑΡCΥΑC ΚΙΒΩΤΟC, *Apamenſium Marſyas Arca;* qua inſcriptione ad provenientem ab eo flumine Apamenſi agro fertilitatem, meo quidem judicio, alluditur: quemadmodum haud abs re diceret, qui aut Sequanam Lutetiæ veſtræ penu, aut Tyberim urbis Romæ divitias appellaret. Quòd ſi minùs navigatione Apamenſibus Marſyas profuit, quòd eum σφοδρῷ καὶ καταφερεῖ τῷ ῥεύματι, *vehementi atque præcipiti fluxu* Apameam præfluxiſſe liquet ex Strabone, unde fortaſſe καταῤῥάκτης Herodoto dictus; irrigandis agris certè utilis eſſe potuit, atque ex eo abunde ubertatis Apamenſium urbi illatæ laudem promereri. Eodem itaque ſenſu Apameam ipſam *Ciboton* appellatam libenter crediderim, quæ, quod ipſi Marſyas erat, Arca eſſet Aſiæ, ut Strabonis etiam verbis utar, τῆς ἰδίως λεγομένης, hoc eſt, ejus quæ vulgò *minor* di-
lib. 12. citur, cujus eodem Strabone teſte, ἐμπορεῖον μέγα, magnum ac celebre emporium erat. Cui ergo Severi nummum, quem diximus, Apameæ Phrygiæ adſcribere libeat, ad Hierapolim itidem Phry-

giæ, me non invito, eorum quæ in ejus averſa habentur, originem haud incommodè referat: quò, ſicuti ab Hierapoli Syriæ unà cum nomine, ſacrorum quoque communionem, ſimulque vetuſtas Deucalionei Diluvii religiones propagatas, haud eſt à vero omnino alienum; ita ex ea, in ejuſdem provinciæ urbem Apameam eaſdem transferri potuiſſe nihil repugnat; niſi (quod alicui fortaſſe placuerit magis) religioſæ hujus Cataclyſmi originem, ex Apamea Syriæ in hanc Phrygię deducere ſatiùs videatur. Horum enim utrumque ne cuipiam inveriſimile videri poſſit, illuſtribus jam allatis exemplis ſacrorum ac rituum ex una in plures ac diverſas urbes deductorum, ut arbitror, effecimus. Ac de nummo quidem Severi liberum cuique judicium eſto. Mihi verò liceat interim conjecturę meę indulgere in noſtro Philippi, Apameæ Syriæ, quod initio monui, tribuendo. Nam Arabi Imperatori à Syrię potiùs urbe, quàm Phrygię, nummum hunc percuſſum vehementer mihi perſuadet, cùm prona, ut nulla magis in adulationem Syrorum natio, ſi quid Polybio fidei; tum verò maxmè pe- *lib. 5.*
culiaris, quę Syris cum Arabibus erat conjunctio ac veluti neceſſitudo, ſive διὰ τὴν ἐκ τοῦ ὁμορεῖν ἐπιμιξίαν, ob quam Arabas etiam Syros à nonnul- *in Schol. ad*
lis appellatos Euſtathius docet, ſive, quod rectè *Dion. Perieg. pag. 119.*

de Diis Syr. Syntag. 2. c. 4. monet Seldenus, ob peculiarem utrique genti ſacrorum ac religionis communionem. Notabile *lib. 1.* ea de re eſt Strabonis teſtimonium. Τὸ τῶν Ἀρμενίων ἔθνος, καὶ τὸ τῶν Σύρων, καὶ τῶν Ἀράβων πολλὴν ὁμοφυλίαν ἐμφαίνει κατά τε τὴν διάλεκτον, καὶ τοὺς βίους, καὶ τοὺς τῶν σωμάτων χαρακτῆρας. *Armeniorum, Syrorum, & Arabum gentes multum præ ſe ferunt cognationis ſermone, vitâ, & corporum formâ.* Quamobrem evecto ad rerum humanarum faſtigium homine Arabe, probabile eſt Syros, ſi quos alios, in populari veluti ſuo ornando colendoque honoribus certaſſe. Quod ſanè in hac obſequii parte, quæ numiſmatum percuſſione conſtat, abunde eos prǽſtitiſſe, arguunt frequentes in Philippo Syriacarum urbium nummi, quarum in iis (ſi latè adeò accipienda eſt Syria, quàm doctorum virorum opinione patuit olim) nomina occurrunt, ΖΕΥΓΜΑΤΕΩΝ nempe, ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, ΦΛ. CΑΜΟCΑΤΕΩΝ, CΕΛΕΥΚΕΩΝ, ac Niſibitarum etiam, quorum in Theſauro Magni Ducis nummus rariſſimus extat cum inſcriptione, ΙΟΥ. CΕΠ. ΚΟΛΩ. ΝΕCΙΒΙ ΜΗΤ. Id etiam illuſtrius patet ex inſigni nummo æreo maximo ejuſdem Philippi, qui inter rariores Muſei Chiſii numerandus eſt. In ejus averſa, quam hîc formis excuſam damus, leo gradiens affabrè expreſſus, ante quem thyrſus erectus, ac lemniſcis concinnè

vinctus.

vinctus. Supra leonem neſcio quid cernitur, quod nonnullis ædicula, aliis verò genus quodpiam galeri ſacerdotalis videtur, ob eas quas ex eo dependentes vittas credunt. Extat in Muſeo Barberino Apamenſis alter ad Commodum pertinens, hujus planè geminus, ſi inſcriptionem excipias, quæ eſt hujuſmodi, ΑΠΑΜΕΩΝ ΠΑΡΑCΤΡΑΤ. ΝΙΚΙΑΝΟΥ. Ego verò de explicatione hujus Apamenſis nummi ampliùs deliberandum cenſeo, neque de ea ſeriò diſſerendi hîc locus. Unum tantùm, quod in mentem venit, obiter proponam, num, quando ob thyrſum appoſitum aliquid hîc latere, quod ad Bacchum pertineat, licet conjicere, ea fortaſſe Bacchi ciſta, ſeu potiùs arca, ſit, non illa quidem myſteriorum, quam paſſim videre eſt in nummis ΚΡΗΤΑΙΩΝ, ΚΩΡΥΚΙΩΝ, ΚΥΔΑΙΩΝ apud Goltzium, recluſam nempe, ac ſerpente ex ea prodeunte; ſed ea, cujus jam ſuprà meminimus, ab Eurypylo Trojani excidii temporibus pro virili prędæ parte acceptam, quam ab Eurypylo ipſo Patras delatam autumabant ejus urbis incolæ; apud quos quod in ea aſſervabatur Bacchi ſimulacrum, Æſymnetæ cognomine, præcipuis honoribus colebatur; qua de re multa Pauſanias in Achaïcis. Sed jam ex nummi ipſius conſpectu de hoc decernere uni-

cuique liceat. Ipſum namque quàm diligentiſſimè fieri potuit, excudendum curavimus.



Quod autem ad rem noſtram facit, notanda ejus inſcriptio, ΕΠΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Β. ΒΕΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ. Ex ea enim conſtat percuſſum fuiſſe hunc nummum ab Apamenſibus eodem anno, quo alter à me explicatus, in quo, ut hîc, *M. Aurelii Alexandri, II. Pontificis Apamenſium*, nomen legitur. Nam Ἀρχιερέως nomine, tanquam ἐπωνύμου τοῦ ἐνιαυτοῦ, ſeu *annum deſignantis*, Faſtos conſignari ſolitos in Græcis urbibus, ex nummis atque lapidibus manifeſtum eſt; ut & nos monuimus in Notis ad Inſcriptiones Athleticas, & multis adſtruit Seldenus ad inſigne illud marmor fœderis Smyrnęorum & Magnetum, quod ΕΠΙ ΙΕΡΕΩC ΗΓΗCΙΟΥ CΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΔΕ ΠΥΘΟΔΩΡΟΥ, *Sub Pontifice* (Smyrnæorum) *Egeſia, Pythodoro autem* (Magnetum) *Stephanephoro*, ſancitum legitur. In hoc verò

in Marmor. Arundell pag. 155.

M. Aurelio Alexandro, ſi cuipiam, quæ de deductis è Templo Hierapolitano Apameam ritibus ac religionibus diximus, probabuntur, facilè ſacerdotalis illius dignitatis veſtigia mecum agnoſcet, cujus fortaſſe uſus, ut alia multa, ab Hierapolitanis ad Apamenſes transferri potuit. De Hierapolitani illius prærogativis hæc Lucianus Syntagmate jam citato de Dea Syria. Ἀρχιερεὺς δὲ ἄλλος ἑκάστου ἔτεος ἐπιγίγνεται· πορφυρέην δὲ μοῦνος οὗτος φορέει, καὶ παραχρυσέῃ αἰαδέεται. *Summus autem Sacerdos alius quotannis ſurrogatur: qui ſolus purpuream veſtem gerit, & aureâ tiarâ redimitur.* Illud verò BEΛ. quod in hac ipſa inſcriptione legitur, annon torquendis eruditorum ingeniis factum videatur? cujus enim id vocabuli initium eſſe dicendum ſit, quòd huic loco quadret? Porrò in eo à me diſſenſurum neminem exiſtimo, quin (quicquid tandem vocabuli id ſit) ad ſequens Ἀρχιερέως referri debere cenſeat. Quò enim aliò pertinere vox ea poſſit, quæ inter illud Ἀρχιερέως, ſacerdotii dignitatem, ac B. dignitatis ipſius obitæ numeralem notam poſita ſit? Quòd ſi hîc quoque divinandum eſt, dicam, quòd nummum conſideranti mihi unicè occurrit, eòque libentiùs dicam, quòd conjecturalem hanc interpretationem meam, ut ut ab aliis accipienda ſit, tibi certè non omnino diſplicuiſſe cognovi.

Nihil igitur aliud, quantùm ſuſpicari licet, illo ΒΕΛ. denotatur, quàm ΒΕΛΤΙϹΤΟΥ, ut inde M. Aurelio Alexandro, ad *Pontificis* dignitatem, *optimi* quoque, ſeu potiùs *præſtantiſſimi*, titulus accedat. Scio equidem, rem novam in re nummaria, atque exemplis minimè fultam à me proponi. Sed quamvis hujuſmodi ſacerdotiorum epitheta reperire in nummis minimè ſit; iis non ſemel inſignita Magiſtratuum nomina habent veteres lapides, in quibus appellationes leguntur, ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΥ ΕΠΑΡΧΟΥ, aut ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, *illuſtriſſimi*, ſeu *clariſſimi Prætoris*, aut *Proconſulis*. ϹΕΜΝΟΤΑΤΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟϹ, *præclariſſimi Archontis*. ΕΞΟΧΟΤΑΤΟΥ ΠΡΟΦΗΤΟΥ, *præſtantiſſimi Prophetæ*: quod etiam ſacerdotii genus eſt, ut noſti. Atque in nummis ipſis, licèt, ut diximus, haud peculiariter adhibita hujuſmodi epitheta ad appellationes ſacerdotiorum, non ignotus omnino eorum uſus, cujus exemplum præferunt nummus rariſſimus Valeriani, in quo tria vaſa cum palmis & inſcriptione, ΜΕΓΙϹΤΩΝ ΑΡΙϹΤΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, & alter itidem rariſſimus Gallieni, cujus in corona è lauro inſcript. ϹΙΔΗΤΩ͂Ν ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗϹ ΕΝΔΟΞΟΥ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Ubi Sidam, illam, ut exiſtimo, Pamphyliæ urbem, Cu-

mæorum coloniam, *clariſſimæ* ac *nobilis* epithetis inſignitam vides. Sed ut Philippi nummos fœcundos uſquequaque oſtendam rerum inſolitarum, duobus iis, quorum antea mentionem feci, tertium addam æreum itidem maximum ex Muſeo Joannis Pauli Ginetti utriuſque Signaturæ Referendarii. Habet is in anteriori parte, utriuſque Philippi atque Otacillæ etiam capita, cum inſcriptione, CONCORDIA AVGVSTORVM. In averſa verò templum rotundæ ſtructuræ, ac columnis etiam fultum, in cujus faſtigio aquila, in ejus verò medio, quò per gradus acceſſus patet, ſimulacrum cernitur, quod Apollinis eſſe oſtendit inſignis inſcriptio, EX ORACVLO APOLLINIS. Qui ſanè nummus, cùm indubitatæ antiquitatis ſit, ut noſti, documento iis eſſe poterit, qui, quos ipſi oculis non uſurparunt novitate quoquo modo ſingulares, continuò falſitatis damnant; mihi verò etiam præſidio, ut ducto è re ſimili exemplo niſus, faciliùs penes eos qui hæc legerint, fidem inveniam, quam tu mihi, VIR ERUDITISSIME, pro ea, quâ apud eruditos autoritate polles, patrocinio tuo etiam conciliabis. Illud vereor potiùs, ne audaciæ in eo notam ſubierim, quod, ut vulgò aiunt, coram Roſcio geſtum facere voluiſſe

videar. Sed, utcunque tandem res ceſſerit, præclarè mecum actum putabo, ſi vel uni tibi conjecturam meam probaverim; quòd ut me conſecuturum ſperem, tua facit ſingularis humanitas: cęteris verò perſuadeam, me non ad aucupandam ingenii aut eruditionis laudem, à qua plurimùm me abeſſe facilè intelligo; ſed, quod initiò profeſſus ſum, deſiderio teſtatam publicè faciendi obſervantiam erga te meam, hæc de Apamenſi Nummo pro mea tenuitate diſſeruiſſe.

PETRI SEGUINI
AD
OCTAVIUM FALCONERIUM
NUMMUS REGIUS.

ALEXANDRO Severo, & Trajano Decio Romanis Imperatoribus, ſuas ex veteribus nummis vindicare conjuges te arbitro, VIR ILLUTRISSIME, aggredior. Nam ſive præſtantem illam, quâ polles, rei antiquariæ cognitionem ſpecto, judicem te repoſcit hæc cauſa: ſive ſumma, quibus tibi ſum obſtrictus, beneficia conſidero, tibi hæc grati animi, quantulacunque eſt, ſignificatio debebatur. Vix Romanos fines ineunte anno ſuperiore attigeram, cùm tu ſingulari comitate occurriſti; conſignaſti diem illum publico gratulationis tuæ monumento, eruditiſſimâ ſcilicet illâ tuâ de Nummo Apamenſi Diſſertatione, quam mihi tanquam adventorium munus nuncupaſti: tantoque honore nihil uſquam de te meritum proſecutus es, ut referendæ gratiæ mihi nullus ſuperſit locus. Quanta

deinde benignitate, toto urbanæ meæ commorationis tempore, aditum mihi aperuiſti ad eruditiſſimos homines, meque in eorum cœtus admiſiſti! Quàm amicè intima ſtudiorum tuorum, & arcana muſei tui hoſpiti Tranſalpino aperuiſti! illa venerandæ vetuſtatis monumenta, quæ jam pridem colligis, illas eruditorum temporum reliquias, quæ ad te tanquam ad patronum undique confluunt; illas ſelectorum codicum, librorumque MSS. opes, quas ex Germanica lectione, tibi ab Alexandro VII. Pont. Max. ad Cardinales Thunnenſem & Spinulam apud Cæſarem renuntiandos, mandata, in Urbem reportaſti. His nempe veluti acceſſionibus eruditionem illam ſummam, cujus pridem ſpecimina coram eodem Summo Pontifice in privatis, ad quæ admittebaris frequens, colloquiis, dederas, ornatiorem effeciſti.

Quem igitur componendæ controverſiæ, quæ in præſenti eruditos exercet, de Alexandri Severi, & Decii Trajani uxoribus, digniorem alterum judicem delectum velimus? Plures ſiquidem veterum numiſmatum ſtudioſi, ne dicam omnes, SALLUSTIAM BARBIAM ORBIANAM, Trajani Decii uxorem agnoverunt, donec in celeberrimo Eminentiſſimi Cardinalis Boncompagni muſeo, viſus dicitur æreus ſecundæ magnitudinis nummus,

nummus, cujus in altera parte, ALEXANDRI SEVERI Imperatoris caput inſculptum eſt, cum ſolita epigraphe; in averſa verò caput & inſcriptio, SALLVSTIÆ BARBIÆ ORBIANÆ. Ex eo Romæ in ſummo rei antiquariæ tribunali, Alexandro tribui conjux Barbia Orbiana cœpit, eoque veriſimiliùs, quòd ipſi quartum decimum annum imperanti, nullam aliam tribuant nummi. Scio apud Goltzium in Theſauro, & Occonem in Alexandro, Sulpitiam Memmiam ejus uxorem deſignari, ut apud Lampridium & quoſdam alios: ſed neque ab Occone nummi ulli teſtes adducuntur, & quem affert Goltzius, adulterinum propè ſuſpicor, quales ipſius ævo plurimi, à pręclaris quibuſdam chalcographis, antiquitatis modum & veſtigia ſectantibus, cuſi ſunt, ſive ut artem ſuam oſtentarent, ſive etiam ut ſtudioſis illuderent. Sed quamvis probatæ ſinceritatis eſſet nummus Goltzianus, quod viro de antiquitate bene merito lubenter conceſſerim: tamen cùm Lampridius ipſe Memmiam, quòd pater ejus de imperio cogitans occiſus ſit, Alexandri gratiâ excidiſſe referat, Memmiæ ipſius vice, Imperatoris thalamo dignatam Orbianam, opinari licet. Quippe Alexander Severus aliam uxorem ducere, aliâ vel repudiatâ, vel è vivis ſublatâ, potuit: ut

olim Nero, qui pari annorum numero imperans, tres uxores duxit, Octaviam, Poppeam, & Statiliam Meſſalinam, quarum vultu & nomine nummos cudit. Illudque conjecturam noſtram firmare videtur, quod in numiſmatis Barbiæ Orbianæ, majorem omnino fabricæ ſimilitudinem eſt agnoſcere cum nummis Alexandri Severi, quàm Trajani Decii, cujus uxor ad hoc tempus fuit credita. Quinetiam comæ & reliquus ornatus in Orbiana, idem eſt prorſus atque is, qui videtur in Julia Mamæa Alexandri matre. Et in æreis ejuſdem Orbianæ, primæ magnitudinis nummis, videntur in averſa figuræ duæ ſtantes, maris altera, altera fœminæ, ſub typo CONCORDIÆ AVGG. quarum prior, quæ dextrum eſt ad latus, juvenilem potiùs Severi Alexandri, quàm ſenilem & rugoſum Trajani Decii vultum refert, ut in nummis quibuſdam integerrimis facilè dignoſcitur, & optimè annotavit eruditus Spanhemius.

in Differt. de Præſt. numiſ.

Hæc me, ut Romanis ſuffragarer judicibus, qui Alexandro Severo Barbiam Orbianam conjugem tribuunt, impulerunt, VIR NOBILISSIME; non quòd Boncompagneum nummum ipſe viderim: hoc enim, quicquid adhibuerim diligentiæ, non licuit, ut de ejus ſinceritate certior fierem; ſed oculatorum teſtium fide, ac præfer-

tim illuſtriſſimi Fr. Gottifredi, qui mihi unus inſtar omnium eſt, nitor.

Abjudicatâ igitur à Decio Barbiâ Orbianâ conjuge, altera ipſi reſtituenda eſt: quod feliciter prę- ſtare videtur rariſſimus ęreus ſecundæ magnitudinis Grę cus nummus, qui in Muſeo Regio Pariſiis adſervatur. Habet in anteriori parte duo capita adverſa Trajani Decii cum corona radiata, & Herenniæ Etruſcillæ cum luna creſcente circa humeros, & ſequenti epigraphe, ΑΥΤ. Κ. Γ. ΜΕ. Κ. ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟϹ ϹΕΒ. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΥϹ-ΚΙΛΛΑ ϹΕΒ. hoc eſt, *Imperator Cæſar Gaius Meßius Quintus Trajanus Decius Auguſtus. Herennia Etruſcilla Auguſta.* In averſa vir togatus duos agit boves arantes, ſuper quos librat ſe aquila expanſis alis. Inſcribitur ϹΕΠ. ΚΟΛ. ΡΗ-ϹΑΙΝΗϹΙΩΝ Λ. ΠΡ. *Septimia Colonia Rheſaniorum A. Pr.*



Quid enim conſociata viri mulieriſque capita, additis DECII & ETRUSCILLÆ nominibus, niſi utrumque conjugem deſignant? prę ſertim in

eadem nummi area, ubi reperiri ſimul non ſolent, niſi qui ejuſdem tori aut imperii participes fuerint. Fateor quidem extare multis in nummis juncta utriuſque ſexus capita, non conjugum, ſed alio affinitatis aut cognationis vinculo conjunctorum, ut matris cum filio, aviæ cum nepote; teſte Agrippinâ cum Nerone, Juliâ Domnâ, aut Juliâ Mœsâ cum Antonino Caracalla, Juliâ Mamæâ cum Alexandro Severo. Ipſis enim, cùm Auguſtæ renuntiatæ eſſent, à filiis & nepotibus hanc reverentiam exhiberi par erat. Sed Imperatorem cum filia, nam Etruſcillæ pater habitus ad hanc diem Decius fuerat, non ita facilè reperies. In præclaro Claudii Imperatoris nummo videntur quidem ejus filiæ Claudia & Octavia, Britannico fratre medio: ut & in Vitellii, ejus liberi; ſed ſine titulo Auguſtæo; & quod maximè notandum, ſeparatim reponuntur in averſa parte tantùm, hiſque verbis additis, LIBERIS AVG. vel LIBERI IMP. At in eadem nummi facie, quoties cum Imperatorum vultu muliebres vultus reperiuntur, nunquam non habentur conjuges: niſi ſi quid aliud inſcriptio deſignet, aut proprii nominis, aut adjuncti alicujus, ut MATER AVG. in Alexandro & Mamææ nummis.

Aliæ quædam ſuppetunt, quæ Trajano Decio

Herenniam Etruſcillam aſſerant, non contemnendæ rationes. Primùm enim & Decius junior *Herennius Etruſcus* dictus eſt, & ſoror ejus Voluſiani conjux, *Herennia Etruſcilla* nuncupata. Unde autem id nominis uterque, niſi ab Herennia Etruſcilla parente traxit? Ab altero enim parentum neceſſariò nomen illud ſumpſere. At nihil de familia Herennia in omnibus Decii patris inſcriptionibus, neque ille uſquam Etruſci nomen accepit. Hæc igitur Herennii & Etruſci nomina trahere ab eo non potuerunt ejus liberi, ſed ab aliqua ipſius conjuge, quæ alia non poteſt eſſe, quàm Herennia Etruſcilla noſtra, cujus cognominis & Decii filia fuit, Etruſcilla Voluſiani: niſi velimus adoptiva eſſe nomina, & adoptionem hîc aliquam, cujus nulla eſt in hiſtoriis mentio, temerè confingamus.

Deinde Trajani Decii numiſmata maxima Latina, quorum averſa in parte deſcripta eſt FELICITAS, aut VICTORIA cum S.C. tantam affinitatem & fabricæ ſimilitudinem habent cum maximis item Her. Etruſcillæ nummis, in quibus ſedet figura PUDICITIÆ cum S. C. ut qui eos minimùm expendere voluerit, eodem tempore cuſos fateri cogatur. Contrà verò Sall. Barbiæ Orbianæ nummi, Decianis ſunt operis

formâ ipsâ diſſimiles: ſimiles verò, ut dicere antè memini, Severianis ſeu Alexandrinis, quorum integer & perfectus orbis eſt, & artificii major elegantia, quàm in omnibus Decii & Etruſcillæ nomine ac vultu percuſſis; quibus eſt id commune utriſque, ut & delineati ſint rudiùs, & eorum ſit orbis inęqualis, imò figura tota, quadratę videatur ſępius quàm orbiculatę ſimilior.

Denique omni exceptione majus teſtimonium dicit nummus ſecundę magnitudinis Gręcus apud nos, Heren. Etruſcillæ caput & nomen habens in anteriori parte, & in averſa eundem Coloniæ Rheſæniorum typum, qui in Deciano regio nummo cernitur: ex quo facilis eſt conjectura, eodem typo percuſſum uxoris numiſma quo fuerat mariti, ut ipſi gratum facerent Coloni Rheſæniani.

Hæc & meæ de Her. Etruſcilla, & veſtræ Romanorum de Barbia Orbiana firmandæ ſententiæ, ſi tibi, VIR ILLUSTRISSIME, ſatis ſunt, mihi quidem ſatis videntur eſſe. Neque enim faceſſere negotium poteſt, aut editus à Triſtano noſtro Græcus Hoſtiliani nummus, in cujus averſa parte cujuſdam Orbianæ vultus cernitur: quem eundem priùs in Hoſtiliano exhibuerat Occo, qui tamen illam Trajano Decio conjugem tribuit:
pag 274. 2. aut Gruteriana inſcriptio, quæ Valentiæ in Hiſpania viſitur in hunc modum:

GNAEAE
SEIAE. HEREN
NIAE. SALLVS
TIAE. BARBIAE
ORBIANAE. AVG.
CONIVGI. DOMI
NI. NOSTRI. AVG.
VALENTINI. VE
TERANI. ET
VETERES.

Hæc, inquam, deterrendis nobis minimum virium habent. Nam Gnææ ac Seiæ pręnomina, quæ in Hoſtiliani nummo & Gruteri lapide reperiuntur, cùm in nummis Barbię Orbianę, quam Alexandri Severi profitemur conjugem, non extent: duas eſſe Orbianas omnino diverſas arbitrari licet, imò certò aſſerere.

Cùm autem & Auguſti conjux in inſcriptione dicatur poſterior hęc Orbiana, nec cujus Auguſti deſignetur: ſuſpicari pronum eſt, alicujus fuiſſe ex Deciorum genere, quibus addictiſſima fuit Valentia civitas, ut ex aliis apud Gruterum inſcriptionibus duabus eadem in urbe repertis apparet, quæ ab iiſdem Valentinis Veteranis & Veteribus, Q. Herennio Etruſco, & C. Valenti Hoſtiliano Decii filiis, poſitę ſunt. Imò ſi quis erit, qui Trajani ipſius Decii conjugem fuiſſe pertina- *pag. 274. 1. & 3.*

ciùs contendat, me quidem non admodum repugnante fiet. Alteram enim alteri ſucceſſiſſe Decii conjugem, Etruſcillæ ſcilicet Orbianam, quid vetat? Et hæc fortè aperiri via poſſit, conciliandis utriſque partibus, ac componendæ controverſiæ, ſi Alexandro Salluſtia Barbia Orbiana, Decio Gnæa Seia Orbiana tribuatur. Utut eſt, ſive Decii, ſive Hoſtiliani conjux, hæc poſterior Gnæa Seia Orbiana fuit: Alexandri Severi & Barbiæ Orbianæ ſeu filiam eſſe, ſeu neptem, augurari poſſumus. Neque enim ab Alexandri morte ad uſque Deciorum imperium anni ſolidi XVII. interceſſerunt, quemadmodum & plures Julias, Agrippinas, Domitillas, Fauſtinas habemus in antiquis nummis & lapidibus.

Quantùm ad averſam regii nummi partem attinet, ejus explicationi minimum operę tribuendum puto; quippe quæ hîc ſolùm acceſſionis locum tenet. Et vulgaris eſt typus ille Sacerdotis jugum boum agentis: quique ſulcum aratro ducens, urbem in quam colonia deducebatur, ejuſque agrum circumſcribebat, antequam Curatores ejus diviſionem & aſſignationem aggrederentur. De ratione Coloniarum deducendarum, plura apud Sigonium de antiquo Jure Italiæ. De Rheſęna Meſopotamiæ urbe, accuratè Triſtanus in pluribus Decii Trajani nummis ad ipſam pertinentibus.

lib. 2. cap. 2.

tom. I. in Decio.

nentibus. Aquila ditionis Romanæ coloniam deſignat. Notas numerales L. ΠΡ. explicabimus ΕΤΟΥϹ ΠΡΩΤΟΥϹ, de anno primo imperii Deciani. Niſi malis interpretari anno CXC. nempe coloniæ deductæ. Solent enim Græci numeros minores majoribus præponere, verbi gratiâ, AI. ponere pro IA. id eſt, undecimo, ut videre eſt in Tabulis Siculis Galterii: & benignè me monuit eruditiſſimus Henr. Valeſius, cujus ſententiæ quantùm deferant literati omnes, non ignotum tibi, etiam in tam diſſitis oris degenti. Sed unde initium ſumpſerit hæc Rheſęniorum æra, ampliùs inquirendum eſſet. Nam Septimiæ nomen à colonia aſſumptum, inſinuare videtur deductam eam à Septimio Severo: cujus tamen imperium tot annis à Deciano non diſtat, nimirum XL. circiter. Tutius igitur, has notas L. ΠΡ. de Trajani Decii imperii anno primo explicare.


Hæc eſt, VIR ILLUSTRISSIME, mearum ſuper uxoribus Imperatorum Alexandri Severi & Trajani Decii conjecturarum ſumma, quæ ſi non adeò feliciter ceſſerint, tamen obſervantiæ erga te meæ ſpecimen exhibebunt. Neque enim unicuique datum eſt, antiquitatis arcana & nodos explicare. Tibi peculiare eſt, ſtudioſis facem præferre. Tui juris eſt, non ſolùm de Græca & Romana Hiſtoria, ſed & de qualibet alia vetuſtiori

decernere. Teſtis eruditiſſima & ingenioſiſſima illa tua de Nummo Apamenſi & Diluvio Noëmico Diſſertatio , quæ etſi primo aſpectu mentes eruditorum quorumdam perculit ; tamen poſtquam in reconditiorem ejus doctrinam penetrarunt attentiùs, non tantùm ſententiæ ſuæ ſuffragatores, ſed etiam ingenii & eruditionis admiratores ſeſe ultrò profeſſi ſunt. Teſtes Inſcriptiones Athleticæ , doctiſſimis illuſtratæ commentariis, labor ille tuus extremus, quem Romæ nunc primùm prodeuntem, cupidè quicquid eſt in Gallia literatorum expectat. Perge, VIR PRÆSTANTISSIME, & natales clariſſimos, virtutis eruditionisque tuæ ſplendore in dies illuſtra. Dat. Pariſis Kal. Octob. M. DC. LXVIII.

PETRI SEGUINI AGATHODÆMON,

Excellentiſſimo Viro

IO. BAPT. COLBERTO REGNI ADMINISTRO.



QUAM opportunè accidit, VIR EXCELLENTISSIME, ut dum illuſtrium curarum partem Regio antiquarum rerum Theſauro impertiris, repertum in eo ſit, gentilitio tuo ſtemmate inſignitum, vetus Ægyptiæ fabricæ numiſma, cum lemmate pręclaris tuis dotibus accommodatiſſimo. In eo ſcilicet anguis ille di-

vinæ Veritatis ſuffragio prudens, inter pacis & ubertatis indices, papavera ſpicaſque frumentarias, cernitur, adſcripto elogio, ΝΕΟΣ ΑΓΑΘΟΣ ΔΑΙΜΩΝ, *Novus bonus Genius*. Quæ rariſſimi nummi ſymbola, quàm aptè omnia unico COLBERTO congruant, quis non videt? Quis percuſſum deſignando tibi nummum non dicat, & tuis adumbrandis virtutibus laudibuſque tantò antè proviſum? Sanctiſſimum quippe vetuſtioris Theologiæ myſterium fuit, angues ΘΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΑΣ eſſe, uti & provinciarum genios; quò pertinet Virgilianum illud:

Æneid. 5. *Incertus geniumne loci, famulumne parentis*
Eſſe putet.

Sancitum iiſdem religionibus erat, ut Salutis, Victoriæ, Pacis, Abundantiæ, Felicitatis, Prudentiæ non tam imagines & figuræ, quàm numina ipſa, ſerpentes haberentur. Quare comites *Apolog. 2.* Diis additos & refert Juſtinus Martyr, & teſtantur Mercurii, Palladis, Cereris, Æſculapii & aliorum vetera in nummis ſimulacra: in quibus Mercurii caduceum, pacem & felicitatem; Pallados Ægis, prudentiam & victoriam; ſerpens in ciſta Bacchi, vitem inventam; Cereris currus alatis ſerpentibus junctus, frumenti ſemina ubertim & abundanter toto orbe diſperſa; anguis Æſculapii baculo involutus, ſalutiferum gramen, oſtendunt.

Certiſſimos quoque viæ duces ſerpentes eſſe, & juvandis Regibus divinitus mitti, ſatis intellexit Regum ille maximus Alexander. Cùm enim ad Ammonis oraculum per arenoſa Libyæ deſerta proficiſceretur, in iiſque incertus viarum exercitus aberraret; repente prodierunt angues duo, & primum agmen præceſſerunt: quibus conſpectis, imperavit ducibus ſuis ſequerentur, prodigioque obtemperarent. Nec perperam: ipſum enim ad oraculi ſedem rectà duxerunt, ubi de fortunato rerum ſuarum eventu futuro certior factus dicitur. *Arian. lib. 3.*

Quid de Chiorum nummo dicam, in quo ſerpens ingentibus ſpiris orbem terrarum amplectitur, & veluti fovet, cum inſcriptione, ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ, *Æſculapii Servatoris?* An non ille idem anguis eſt, quem Epidaurii rarò, ſed nunquam ſine maximo ipſorum bono viſum, eodem quo Æſculapium cultu venerati ſunt; quem eundem Romani, graſſante iniquâ ac peſtiferâ lue, quaſi unicum ſuo malo remedium, ampliſſimâ & ornatiſſimâ legatione ab Epidauriis impetratum, in inſula Tiberina collocarunt? Hujus quidem rei illuſtre monumentum Antoninus Pius Imperator, antiquitatum Romanarum ſtudioſiſſimus, inſculptum voluit numiſmati maximo in primis raro, quod Româ nuper allatum, & in *Vide Theſaur. Regium.* *Livius dec. 1. lib. 10.* *Valer. Max. lib. 1. c. 8. h. 2.*

Regio Muſeo reconditum, intuendo expleri nequeunt, quotquot intuentur Antiquarii. Neque enim ſola Græcia, cujus leviuſcula fides, ſed & Roma ipſa, ſerpentem felicis tutelæ ſymbolum *Cic. 1 de Div.* exiſtimavit. Teſte Sulla Dictatore, qui cum in *Valer. Max. lib. 1. cap. 6.* agro Nolano ante Prętorium ſacra faceret, ab infima ara ſubitò anguis emergens, pro omine victoriæ, quam ille continuò de hoſtibus reportavit, acceptus eſt.

Denique in nummis argenteis Impp. Claudii & Veſpaſiani, Victoria ſerpente duce progreditur. Quin & Magni Alexandri nummus æreus nobis Victoriam in bigis raptim decurrentibus exhibet, comite ſerpente. Hinc erga ipſos ma- *Plutarchus in Alex.* gnatum amor: nec ſola Olympias, aliæque in Macedonia Bacchantes, Orgia celebrantes, iis delectatæ ſunt; ſed & Imperatorum ſolertiſſimus *Suet. l. 3 c 73.* Tiberius ſerpentem dilexit, & propriâ manu cibavit.

Si igitur tam felix antiquis ſerpentum aſpectus occurſuſque viſus eſt, VIR EXCELLENTISSIME, quàm fauſtum omen capere licet ex eo, qui nobis regia numiſmata ſcrutantibus nuper occurrit? quem tranſmiſiſſe ad hanc ætatem, & tibi conſecraſſe videtur antiquitas, grata videlicet in anteceſſum, & quaſi præſentiens eruditas illas & elegantes curas, quibus reliquias ſuas, ex

omnibus collectas ſęculis, in Regio Muſeo tanquam in ſacrario collocas. Quæ cùm, illuſtriſſimi tui ſtemmatis ornatu ac decore geſtiens, in angue, in epigraphe, in papaveribus iſtis ſpiciſque ingentes nobis providentiæ tuæ fructus ſpoponderit: nos certè & ad hanc diem uberes cepimus, & ex iiſdem ſymbolis uberiores in poſterum ominamur. Sive enim artes excultas attendimus, quibus opificum animos à languenti deſidia revocas, & inutilium hominum pondere Rempublicam juſſu Regis exoneras: ſive inſignem illam Academiam, in qua tot præſtantes viri regiâ munificentiâ ex omnibus Europæ partibus evocati, aſſiduis laboribus & eruditis ſolicitudinibus curas ingentes tuas pro modo ſuo æmulari contendunt: ſive annonæ & commercii ſtudium, quo familiis noſtris alimenta provides, & gentium toto orbe diſſitarum opes noſtris oris importas: ſive ſecuritatem publicam, quæ nos à graſſatorum tutatur incurſu: ſive tandem Urbis nitorem ac munditiem intuemur; nec Mercurium deſideramus, nec Palladem: adeſſe nobis Bacchus & Ceres, adeſſe Æſculapius & Hygeia videntur: immo quicquid unquam per numina iſta hominum generi collatum antiqua ſuperſtitio credit, regiis ſuperatur beneficiis: quibus, ex LUDOVICI nutu, proque excelſi illius animi

magnitudine diſpenſandis, una COLBERTI mens, una ΑΓΑΘΟΥ ΔΑΙΜΟΝΟΣ prudentia par erat. Perge, VIR EXCELLENTISSIME, ornandis pacis artibus ac ſtudiis, Regis animum à bellicis laboribus quaſi per inducias avocare; immo ejus vitam à certiſſimis, quæ fidenter adibat, periculis defendere. Sic te Deus amet, ſic augeat; ſic tibi Gallia univerſa gratiſſimo animo ſtudeat; ſic fideliſſimis tuis prudentiſſimiſque conſiliis ita Rex confidat, ut ſit ſemper populorum ſuorum amor & deliciæ, hoſtium terror, ſpes ſociorum, omnium in ſe ſtudia venerationemque convertat.

NUMISMATA
ELEGANTIORA
MUSEI
ABBATIÆ S. GENOVEFÆ
PARISIENSIS,

Ex ære tam mediocris quàm minimi moduli.



CAPUT Julii Cæſaris laureâ coronatum, cum hac inſcriptione, IIVIR. CORINT. Ex adverſa parte ſpectatur caput Auguſti abſque laurea, cum hac epigraphe, M. ANT. HIPPARCO M. NONNIO BASSO. Percuſſus eſt nummus iſte à Corinthiis in honorem Auguſti, & in grati animi monumentum erga Julium Cæ- I. JULIUS CÆSAR.

ſarem fato functum, qui eorum urbem reſtauraverat, Coloniamque Romanam effecerat, cùm per L. Mummium everſa fuiſſet, ut legitur in Dione: *Corinthum verò Carthaginemque urbes antiquas, ſplendidas & illuſtres, quæ jam perierant, reſtauravit, atque ibi Colonias Romanorum deduxit.* Unde in pluribus nummis hæ videntur litteræ, C. L. I. COR. quæ ſignificant, *Colonia laus Julia Corinthus.* Hipparcus autem & Baſſus erant Duumviri, qui urbem Corinthum tunc adminiſtrabant.



II. Drusus & Germanicus frat. Hic nummus inſcribitur, ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΔΕΛΦΟΙ, *Druſus Cæſar, Germanicus Cæſar fratres.* Druſus iſte erat filius Tiberii; Germanicus autem ipſius Tiberii nepos, quem Auguſti juſſu in filium adoptaverat: unde frater Druſi hîc dicitur. Ambo ſunt togati, ambo in ſellis curulibus ſedentes: iſte ut Pontifex gerit ſimpulum; legitur enim in ejus nummis DRVSVS CAESAR TI. F. AVG. PONT.

alter verò lituum, muneris Auguralis quod exercebat ſymbolum, geſtat. In averſa hujus numiſmatis parte hæc habentur verba, ΕΠΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΛΕΩΝΟΣ CΑΡΔΙΑΝΩΝ. *ſub Alexandro Cleone Sardianorum Prætore.* In medio coronæ legitur ΚΟΙΝΟΥ ΑCΙΑC. quibus verbis colligitur hanc coronam lauream Druſo & Germanico decretam fuiſſe unanimi conſenſu urbium Aſiæ.




III. GERMANICUS & AGRIPPINA.

CAput Germanici abſque laurea, ΘΕΟΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ. *Deo Germanico.* & in nummi area ΜΥΤΙ. id eſt ΜΥΤΙΛΙΝΑΙΩΝ. In averſa autem parte legitur ΘΕΑΝ ΚΑΙΟΥ... ΑΓΡΙΠΠΙΝΗΝ, ſupple ΜΗΤΕΡΑ. *Deæ Caii matri Agrippinæ.* Unde colligitur hoc numiſma percuſſum fuiſſe Caligulæ tempore à Mytilinenſibus in honorem Germanici & Agrippinæ ejuſdem Imperatoris parentum, quòd ad inſulam illorum Leſbon quondam appuliſſent, in qua Agrippina peperit Juliam, ut ſcribit Tacitus: *Petitâ inde*

Eubœâ, tranſit Leſbum, ubi Agrippina noviſſimo partu Juliam edidit.



IV. CALIGULA. CAput Caligulæ ſine laurea, cum inſcriptionē ΚΑΙΟΣ ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡ. *Caius Cæſar Auguſtus Germanicus.* In averſa parte ſpectatur mulier ſeminuda ſedens, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ pateram gerens, cum hac epigraphe, ΘΕΑ ΑΓΡΙΠΠΙΝΗ, *Dea Agrippina*, elegans ſanè monumentum conſecrationis inter Divas pręſtantiſſimæ hujus fœminæ matris Imperatoris Caii, cui poſt mortem honores decrevit ampliſſimos; ſiquidem teſte Dione, *ejus oſſa & fratrum defunctorum ſua manu legit, & Romam allata, in Auguſti ſepulchro condidit.*




CAput Trajani cum laurea, AYTOK. KAIΣ. NEP. TPAIAN. ΣEB. ΓEP. ΔAK. *Imperator Cæſar Nerva Trajanus Auguſtus Germanicus Dacicus.* In averſa autem parte caput Jovis laureatum, cum his verbis, ΔΩP. IEP. ACYΛ. AYTON. NAYAP. POE. Percuſſus fuit hic nummus in honorem Trajani à Dora civitate maritima Phœniciæ ad radices mōtis Carmeli: tribuitur huic civitati titulus Sacræ & Azyli, *Doræ ſacræ aſyli ſui juris navium præfecturam habentis.* Hæc autem ultima prærogativa cuſtodiæ navium ideo ipſi conceſſa eſt, quòd eſſet Colonia Sidoniorum, qui ex eo quod primi artis nauticæ inventores crederentur, pręfecturæ navium jure fruebantur. Variis etiam donati ſunt privilegiis à Pompeio, ut habetur in Joſepho Antiq. lib. 4. *Maritimas verò Gazam, Joppen, Doram, has omnes Pompeius liberas eſſe juſſit.* Quod accidit anno ab Urbe C. DCXCI. cùm Syriam in provinciam redegit; cui numero ſi addatur POE, quæ litte- V. TRAJANUS.

ræ efficiunt CLXXV. erit annus DCCCLXXVI. & XVII. poteſtatis Tribunitiæ Trajani, (cùm Imperator in Syria eſſet) quo hic nummus vulgatus eſt, ut optimè notavit vir antiquitatum peritiſſimus Joannes *Vaillant*. Dorenſes autem Jovem, cujus caput hîc effinxerunt, maximè colebant.



VI. Trajanus iterum.

CAput ejuſdem Trajani pari ornatum inſcriptione, niſi quod hîc additur ΑΡΙΣΤΟΣ, *optimus*. Notam etiam habet ſingularem, in qua legitur iſtud verbum, ΔΑΚΙΚΟΣ. Averſa autem pars exhibet genium urbis metropolis Ioniæ, ut indicat epigraphe ΜΗΤΡΟΓΟΛΕΙΤΩΝ ΕΝ ΙΩΝΙΑ. Hæc autem urbs ſita erat prope Mæandrum fluvium, inter Epheſum & Smyrnam. Juxta eius figuram videtur in hoc nummo Jupiter, qui ei offert ſuam aquilam in arrham & pignus tutelæ & ſecuritatis, quam ipſi promittit.



CApuc Antonini, ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. Τ. ΑΙΛ. ΑΔΡ. ΑΝΤΟΝΕΙΝΟϹ. *Imperator Cæſar Titus Ælius Antoninus*. In averſa parte ſpectatur mons Argæus cum antro ſuo, legiturque hæc epigraphe, ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΑΡΓΑΙΩ. Hoc numiſma editum fuit ab incolis Cæſareæ in Cappadocia prope montem Argæum, in honorem Antonini Pii. Urbs iſta quondam Mazaca appellabatur, eratque regni metropolis: at cùm Archelaus, Cappadociæ à M. Antonio Rex conſtitutus, pro illo, tanti beneficii memor, in bello Actiaco pugnaſſet, non ſolùm ab Auguſto in cæteros ſeverè animadvertente abſolutus eſt, fugiens pœnas, ſed paulò pòſt Armeniam minorem & Tracheam Ciliciam donum accepit; in æternum cujus rei beneficium urbem metropolim mutato nomine CÆSARÆAM appellavit. VII. ANTONINUS.




VIII. Commodus. COmmodi caput laureâ coronatum, AYT. K. M. AYP. ANT. KOMMOΔOC. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus Commodus.* In caverſa parte conſpicitur Hercules imberbis, capite redimito, cum hac inſcript. ΓΑΔΑΡΕΩΝ Γ.Μ.C. *Gadareorum anno* CCXLIII. Hic nummus editus fuit ab urbe Gadara, ſita juxta lacum Geneſaret in Palęſtina, in honorem Commodi, qui ſub Herculis habitu depingi gaudebat: quod accidit anno CCXLIII. æræ eorumdem, quæ incœpit anno ab Urbe condita DCXCI. cùm Syria per Pompeium in provinciam redacta fuit, teſte Joſepho, qui hæc habet. *Gadaram paulò antè dirutam inſtauravit in gratiam liberti ſui Gandarenſis Demetrii.* Si autem duo illi numeri DCXCI. & CCXLIII. ſimul jungantur, efficient DCCCCXXXIV. ejuſdem Urbis conditæ, qui incidit in ſeptimum Tribunitiæ poteſtatis Commodi, quo hic nummus percuſſus dignoſcitur, ut annotavit Jo. *Vaillant* in lib. de Epochis inedito.

Caput



CAput Plautillæ uxoris Caracallæ, ΠΛΑΥΤΙΛ- IX.
ΛΑ CEBACTH. Videtur in averſa parte PLAUTILLA.
Pegaſus cum hoc verbo, ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. Hunc nummum Corcyræ inſulæ, vulgò *Corfou*, incolæ, quæ modò ſubeſt ditioni Reipublicæ Venetæ, cudi fecerunt in honorem Plautillæ filiæ Plautiani, qui ex ea ducebat originem. Pegaſus autem hîc appoſitus denotat quòd cùm hujus inſulæ cives olim à Corintho huc tranſmeaſſent, eâdem notâ, quâ Corinthii, ſuam ſignabant monetam, quæ Pullus vocabatur, teſte Tucydide: *Pullus autem dicitur nummus Corinthius, quòd Pegaſum haberet inſculptum.*

DIadumeniani Macrini filii caput, M. ΟΠ. X.
ΑΝΤ. ΔΙΑΔΥΜΕΝΙΑΝ. ΚΑΙϹΑΡ. Figu- DIADUME-
ram exhibet Junonis pronubæ velo contectæ NIANUS.
averſa pars, juxta quam Pallas galeata cum hoc verbo inferùs ſcripto, ΓΑΒΑΛΕΩΝ. Hæc urbs Cœloſyriæ, de qua ſuperiùs diſſeruimus, num-



mum iſtum in honorem Diadumeniani edidit; cùm eſſet in Syria bellum Artabano Parthorum Regi illaturus, antequam ejus exercitus per Elagabali copias fuiſſet deletus; quo prælio *infelix* ille Princeps occubuit. Juno autem cum Pallade in illa urbe colebatur, quæ hîc amplo nuptiali velo circundatur, geſtatque in capite ornamentum, quod tutulus Feſto & Varrone teſtibus vocabatur.




XI. BALBINUS. CAput Balbini laureatum, ΑΥΤ. Κ. ΔΕΚ. ΚΑΙ. ΒΑΛΒΕΙΝΟϹ ϹΕΒ. *Imperator Cæſar Decius Cælius Balbinus Auguſtus.* In averſa autem parte cernitur ſtatua equeſtris cum altari & hac epi-

graphe, CΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΛΥΚΑΔ. *Celeucorum juxta flumen Calycaduum.* Ejus meminit Ammianus his verbis: *Prᴂterito Calycadui fluminis ponte, cujus undarum magnitudo murorum Seleuciᴂ alluit turres.* Percuſſus autem fuit nummus iſte in honorem Balbini, qui Aſiam rexerat antequam ad Imperium fuiſſet aſſumptus. Altare verò in eo appoſitum ſacrificia deſignat, quæ urbs illa Diis obtulit, cùm Pupienus Balbini collega Maximinum collatis copiis profligavit; & ſic uterque Imperatoriam dignitatem pacificè poſſedit.



CAput Tranquillinæ uxoris Gordiani junioris, Φ. CΑΒΕΙΝΑ ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ CΕΒ. *Furia Sabina Tranquillina Auguſta.* Cernitur in averſa parte calathus plenus ſpicis, cum his verbis, ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΤ. Γ. Urbs metropolis in Lydia hunc nummum cudi fecit in honorem Tranquillinæ Auguſtæ filiæ Mneſiſtenis. Calathus autem cum ſpicis indicat fœcunditatem & ubertatem hujus terræ, quæ ſegetem profert am- XII. TRANQUILLINA.

pliſſimam. Litteræ ET. Γ. notant annum tertium vel imperii Gordiani, vel ipſius cum Tranquillina conjugii, quo hæc moneta edita fuit.



XIII. Augustus. CAput Auguſti, in cujus averſa parte hoc verbum legitur, ΜΥΛΑΣΕΩΝ. Mylaſæ urbis incolæ, à Mylaſo Chryſaori filio conſtructæ, hoc numiſma vulgaverunt in honorem Auguſti, fortè poſt victoriam Actiacam, cùm in inſulam Samos Mylaſæ vicinam profectus eſt, ubi hyemavit. Tridens autem cum delphinis hîc appoſitis denotat jus quod habebat in mari. Bipennis verò Amazonibus propria, videtur indicare hanc urbem in earum poteſtatem fuiſſe quondam redactam.


XIV. Augustus iterum. EJuſdem Auguſti caput ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Cæſaris Auguſti.* In averſa parte exhibetur facies Polemonis Regis Ponti, diademate ornati, qui hunc nummum percuſſit in gratiam Auguſti, cùm ejus clementiam fuiſſet expertus, eique condonaſſet quòd Antonii partes



fuiſſet ſecutus, copiaſque validiſſimas ipſi præbuiſſet, teſte Plutarcho, qui ait, *Polemon auxilia miſit.* Nihilominus Auguſtus ei minorem Armeniam tribuit, Sociumque ac Populi Romani Fœderatum declaravit, eique Ponti regnum conceſſit, & Pythodorim Aſandri cujuſdam Ponti Regis viduam in uxorem tradidit.

CAput Agrippinæ uxoris Germanici, ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. In averſa parte legitur ΛΕΠΤΙC. Editum fuit hoc numiſma ab urbe Lepti in Africa, in honorem præſtantiſſimæ hujus mulieris, cùm ad eam cum marito ſuo acceſſit. Duæ hujus nominis inveniuntur in Africa civitates, altera XV. AGRIPPINA.

in Regno Tripolitano, quæ vocatur hodie Lebeda, portumque habet valde commodum, ac arcem munitiſſimam: altera verò in Regno Tunetano, vulgò Lempta vocitata, quæ fuit olim urbs libera, & utraque Epiſcopalis, cùm in eis vigeret Religio Chriſtiana.



XVI. NERO. NEronis caput, NERO CLAVD. CAESAR. In averſa parte cernitur vultus cujuſdam ſenis ſimilis Æſculapio, cum hac epigraphe, EX CONS. D. C. CIB. Duæ proferuntur opiniones circa harum litterarum expoſitionem: nonnulli enim cenſent hoc modo debere ſcribi, EX CONS. D. C. CIB. *ex conſenſu Decurionum Coloniæ Cibaris.* exiſtimantes hoc numiſma cuſum fuiſſe apud Cibarim Lycaoniæ urbem. Aliter autem & rectiùs legit rei antiquariæ peritiſſimus J. *Vaillant* ſuperiùs antè laudatus, *ex conſenſu Decurionum Coloniæ Campeſtris Juliæ Babbæ.* quod confirmat ſex teſtium allegatione, nummorum ſcilicet totidem Cimelii Regis Chriſtianiſſimi, trium Claudii, & trium

Neronis, qui habent has litteras C. C. I. B. punctis hujuſmodi diſtinctas, quibus oſtenditur ſingulas unum ſignificare verbum, ſcilicet *Colonia Campeſtris Julia Babba.* Dicendum eſt itaque urbis Babbæ Mauritaniæ incolas illum percuſſiſſe. Invenitur autem in Plinio civitatem illam vocatam fuiſſe Juliam Campeſtrem, quòd in eam Julius Cæſar Coloniam Romanam induxerit. Caput autem Æſculapii innuit Deum hunc fuiſſe quondam in ea cultum. *lib. 5. cap. 5.*



XVII. HADRIANUS.

HAdriani caput, ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ. *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus.* In averſa autem parte ſpectatur caput urſi cum hac epigraphe, ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΤΩΝ. quòd Hadrianus plurimùm venationi addictus, hanc urbem, quam Hadrianotheras, id eſt Hadriani venationem, vocavit, fundaſſet, teſte Spartiano in ejus vita: *Hadrianotheras in quodam loco, quòd illic eſt venatus, & urſum occidiſſet, aliquando conſtituit;* unde caput urſi hîc depingitur.



XVIII. Hadrianus iterum.

EJuſdem Hadriani caput laureâ redimitum, ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ. *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus*. In averſa parte conſpicitur caput Jovis cum ave Ibi, quæ frequentiſſima eſt in Ægypto, cum his litteris, ΠΙΝΑ. L. ΙΑ. Clarum eſt hunc nummum percuſſum fuiſſe in Ægypto, ubi Jupiter colebatur ſub nomine Serapidis, ipſique Ibis erat conſecrata. ΠΙΝΑ autem ſignificat urbem Pinamum, cujus mentio apud Stephanum: tritum enim eſt in numiſmatibus Græcis ſcribere tantummodo initium nominis urbium, velut ΕΡΜΟ. Ermopolis, ΟΞΥΡ. Oxyrinchus, &c.


XIX. Ælius.

CApuт Ælii, Λ. ΑΙΛΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. *Lucius Ælius Cæſar*. In averſa autem parte cernitur caput apri jaculo confoſſum, cum hac epigraphe, ΝΙΚΟΠΟΛΕΩϹ. Urbes omnes, quæ Nicopolis nomine appellantur, ſingulari diſtinguuntur epitheto: ſic Nicopolis Mœſiæ ſuperioris dicitur

ΝΙΚΟ-




ΝΙΚΟΠΟΛΙϹ ΠΡΟϹ ΙϹΤΡΟΝ. Nicopolis Thraciæ, ΝΙΚΟΠΟΛΙϹ ΠΡΟϹ ΜΕϹΤΡΟΝ. Nicopolis verò illa, quam in Epiro conſtruxit Auguſtus ob memoriam victoriæ Actiacæ, nullo alio inſignitur nomine, niſi fortè ΙΕΡΑϹ; quod etiam comperitur rariùs. Huic ergo potiùs videtur tribuendum hoc numiſma, quàm cæteris, in monumentum ingentis illius apri, quem inibi occidit Hadrianus, qui Ælium jam adoptaverat, de quo hæc habet Dio: *Fuit autem adeò agilis in venationibus, ut aprum maximum uno ictu confecerit.*



CAput Fauſtinæ uxoris Marci Aurelii, ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ ϹΕΒΑϹΤΗ, *Fauſtina Auguſta.* XX. FAUSTINA.

In averſa parte ſtat Harpocrates Deus ſilentii apud Ægyptios, digitum ori admovens, cum hac inſcriptione, ΠΕϹϹΙΝΟΥΝΤΙΩΝ, quâ innoteſcit urbem Peſſinum Galatiæ hunc edidiſſe nummum in honorem hujus Auguſtæ, figuramque Harpocratis, quem ſpecialiter colebant iſtius urbis incolæ, in eo effinxiſſe.



XXI. Tacitus. CAput Taciti Imperatoris cum laurea, IMP. C. M. CL. TACITVS AVG. In averſa verò parte cernitur Victoria, quæ dextrâ offert coronam Imperatori, & ſiniſtrâ palmam geſtat, cum iſta epigraphe, VICTORIA GOTTHI. in memoriam celebris illius victoriæ, quam in Gothos reportavit, cæteroſque paluſtrium Mœotidarum incolas, de qua hæc ſcripſit Vopiſcus : *Quoniam à Mæotide multi barbari eruperant, eos eiſdem conſilio & viribus, ut eò redirent, compulit.* Zoſimus etiam hæc habet: *Gothi trajectâ palude Mæotide, per Pontum ad Ciliciam uſque ſitâ, incurſionibus vexarunt, quos aggreſſus Tacitus, partim ipſe debel-*

latos ad internecionem delevit. Iſidorus autem in ſuis Etymologiis dicit Gothiam vicinam eſſe Scythiæ & Paluſtrium Mœotidarum, his verbis: *Prima Europæ regio Scythia inferior, quæ à Mœotidis Paludibus incipiens, inter Danubium & Oceanum Septentrionalem uſque ad Germaniam porrigitur, quæ Terra generaliter, propter barbaras nationes quibus inhabitatur, Barbarica dicitur. Horum pars prima eſt Alania, quæ ad Mœotidas Paludes pertingit; poſt hanc Dacia, ubi & Gothia, deinde Germania.*



CAput Probi Imperatoris cum corona radiata, IMP. C. PROBVS P. F. AVG. In averſa verò parte videtur lupa lactans Remum & Romulum, cum his verbis, ORIGINI AVG. Si Probus ex Pannonia originem duxerat, ut Vopiſcus & Sextus Victor aſſerunt, mirum videri debet cur hîc lupa, Urbis fundatorum nutrix, effiсta ſit, ad deſignandam hujus Imperatoris originem. At Paulus Diaconus Aurelii Victoris Com- XXII. PROBUS.

pilator, loco Dalmatio ſanguine, poſuit Dalmatio nomine, quod fortè Probo inditum fuerat. Poſſet etiam dici quòd Probus natus Romæ, ut nomen indicat, à patre Dalmata fuerit ortus, unde verè ſcriberetur eum fuiſſe Dalmatio ſanguine. Tandem illud etiam non ineptè proferri poſſet, ſcilicet cùm lupa dederit originem Imperio Romano, cur non etiam Imperatoribus, qui omnes Auguſti dicti ſunt?



XXIII. AURELIANUS. AUreliani caput, DEO. ET. DOMINO. AVRELIANO. AVG. Hæc inſcriptio videtur quædam conſecratio in honorem Aureliani, quæ ipſum Deum declarat. In averſa autem parte ſtat mulier porrigens Imperatori coronam, cum hac epigraphe, RESTITVTOR ORBIS. Mulier illa, figura eſt urbis Romæ, quæ tam ſuo nomine, quàm totius Orbis, cujus caput exiſtebat, agnoſcit Aurelianum totius Orbis Reſtauratorem, eique coronam decernit. Audiamus Vopiſcum de eo ſic differentem: *Nos bene ſcimus, & poſteri fre-*

quentabunt divum Aurelianum clariſſimum Principem, ſereniſſimum Imperatorem, per quem ROMANO NOMINI ORBIS EST RESTITVTVS. Poſteri neſcient. Deus avertat hanc amentiam.



CApuc Juliani Tyranni cum corona radiata, IMP. C. M. AVR. IVLIANVS P. F. AVG. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Julianus Pius, Felix, Auguſtus.* Aſſumptus fuit in Italia à militibus ſuis in Imperatorem poſt Carini mortem, eodem momento quo Carauſius in Gallia, ut ſcribit Aurelius Victor: *Hoc tempore Carauſius in Galliis, Achilleus apud Ægyptios, Julianus acto per coſtas pugione in ignem ſe abjecit.* Hic eſt hujus Tyranni finis infeliciſſimus, qui in has redactus fuit anguſtias, cùm prælio per Diocletianum victus fuiſſet; cùmque breviſſimo tempore regnaſſet, ejus numiſmata vix inveniuntur. XXIV. JULIANUS.



XXV. Carus.

CAput Cari Imperatoris cum Solis capite radiato, DEO ET OPTIMO CARO INVICTO AVG. Monumentum eſt victoriæ inſignis, quam Carus de Perſis, aliiſque populis qui Solem colebant, retulit, ſub ejuſdem Solis auſpiciis, cui Invicti tribuebant epithetum, ut in pleriſque nummis Diocletiani, Maximiani & Conſtantini videre eſt. Ideo autem Solem Invictum dicebant, quòd cum omnium Numinum fortiſſimum exiſtimarent. Obſervandum eſt in hac numiſmatis epigraphe, Domini titulum primò fuiſſe Caro attributum, quod deinde ſequentibus Imperatoribus fuit frequentiſſimum. In averſa autem parte legitur hoc lemma, FELICITAS TEMPORVM, quo deſignatur felicem omnino eſſe ſub Cari Imperatoris regimine Rempublicam.




MAximiani & Herculis jugata capita, ut placet Triſtano à ſancto Amantio. Nullus eſt tam peregrinus, qui ignoret Maximianum Herculem dici voluiſſe, & effigiem ſuam cum clava & leonis ſpoliis in ſuis nummis ſæpius efformari juſſiſſe. In averſa autem parte videntur tres puellæ, quæ bilances manu geſtant, eæ ſunt tres monetæ, quæ deſignant aurum, argentum, & æs, ex quibus nummi conflabantur. Altaria verò innuunt perſpicuè illas ut Deas coli conſueviſſe. XXVI. Maximianus.



CApuт Maximiani velatum cum laurea, DIVO MAXIMIANO SENI OPTIMO. In averſa autem parte Imperator ſedet in ſella curuli, XXVII. Maximianus iterum.

cum hac epigraphe, REQVIES OPTM. MERIT. *Requies optimorum meritorum.* Vel gratulabuntur hoc nummo Maximiano, quòd exemplo collegæ ſui Diocletiani Imperium dimiſiſſet, ut privatam ageret vitam; unde ejus Encomiaſtes laudat eum his verbis: *Tu verò, in quo ſunt ſolidæ adhuc & integræ vires, hic totius corporis vigor, hic Imperatorius oculorum ardor, immaturum otium ſperaſſe miramur.* Vel fortè rectiùs dicendum eſt, ejuſdem Imperatoris apotheoſim eſſe, quod caput velatum, & inſcriptio, *Divo Maximiano*, quaſi jam inter Deos relato, indicare videntur; optimèque conveniunt illa verba, *Requies optimorum meritorum*, quæ etiamnunc potiori jure beato Cœliti aptare poſſemus.



XXVIII. ANABALLIANUS. CAput Anaballiani, qui fuit nepos ac gener Conſtantini Magni, quemque Regem Ponti conſtituit, cùm Conſtantiam filiam ei matrimonio copulavit. FL. CL. ANABALLIANO REGI. *Flavio Claudio Anaballiano Regi.* Author quidam anonymus

anonymus vitæ Conſtantini ait de illo: *Regem Regum & Ponticarum gentium eum conſtituit.* In aversa autem parte cernitur Fluvius procumbens, quem Euphratem, aut alium fluvium, qui terras Anaballiani regno ſubditas alluit, facilè credimus. Literæ verò CONOB. in inferiori parte nummi appoſitæ, Conſtantinopoli obſignatum fuiſſe hunc nummum deſignant.



CAput Vetranionis, qui in Pannonia Imperator ab exercitu fuit ſalutatus eo tempore, quo exercitus Gallicus Magnentium eligebat. D. N. VETRANIO P. F. AVG. *Dominus Noſter Vetranio Pius Felix Auguſtus.* Averſa autem pars repræſentat eum coronâ à Victoria donatum, cum labaro in manu, inſignito ſacro charactere Chriſti, & hac epigraphe, *Hoc ſigno victor eris*, quâ Cœlum ſibi conabatur reddere propitium, ut victoriam in hoſtes reportaret. XXIX. VETRANIO.



XXX. Bulla Gallæ Placidiæ. SIgillum eſt plumbeum, ſeu Bulla Gallæ Placidiæ filiæ Theodoſii, & Arcadii atque Honorii ſororis, quæ ipſius diplomati fuit quondam affixa, à quo pendebat, ut ex foramine tranſverſo colligitur. Literæ autem R. V. ſignificare videntur *Regina Viſigothorum*, quòd Placidia Atolpho Regi Viſigothorum matrimonio juncta fuerit.



XXXI. Hector. CAput cujuſdam Heroïs cum hoc verbo, HECTORI. Reſtitutus videtur hic nummus in honorem Hectoris à Conſule quopiam Romano, eò quod eſſet filius Priami Trojanorum Regis, à quibus Romani ducebant originem: ſicut Auguſtus Æneam in ſuis ſculpſit numiſmati-

bus. In averſa autem parte eſt figura bovis cum patera, quibus deſignantur ſacrificia quæ ipſi tanquam Heroï & Semideo conveniebant; unde jure inter Conſulares poteſt annumerari & reponi hoc numiſma.



XXXII. HOMERUS.

CApur venerabilis ſenis, cui nomen Homerus, ut ex Græcis literis apparet OMHPOC. Inſignis hujus Poëtæ vultum hîc agnoſcimus. In averſa parte Fluvius decumbens cum hac epigraphe, AMACTPIANΩN, deſignat hunc nummum fuiſſe vulgatum in honorem Homeri ab urbis Amaſtris incolis; vel (ut rectê obſervavit doctiſſimus Spanhemius) ob ſingulare erga hunc Poëtam ſtudium; vel quòd civitas illa eſſet colonia urbis Smyrnæ, quæ Homeri patria credebatur: unde canebat Statius,


Smyrna tibi natale ſolum.

& Tullius, *Smyrnæi ſuum eſſe confirmant, itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt.*




XXXIII. Moneta Hebrçorum

MOneta eſt Hebræorum, ſcilicet quarta pars ſicli ærei, vel ſtateris. Ex una parte videtur calix quidam cum literis Samaritanis, quæ ſignificant *anno quarto*. Ex alia autem parte ſpectatur manipulus frumenti cum duabus oleis hinc inde: characteres verò Samaritani ſignificant, *Redemptionis Job*, qui videntur innuere Monetam illam primùm vulgatam fuiſſe anno quarto redemptionis ſeu reſtitutionis Job in priſtinam fortunam, in qua omni abundantiâ cumulabatur, *à fructu frumenti* deſignati per manipulum, *vini* per calicem, & *olei* per oleas ipſas, *multiplicatus*, ut verbis Scripturæ utar. Fortè in ſenſu allegorico per annum quartum redemptionis Job intelligitur annus quartus à perſecutione Antiochi: & ſic referri deberet hæc Moneta ad Machabæorum ævum. Probabile eſt valde talia fuiſſe duo illa minuta, quæ hæc Evangelii vidua miſit in Gazophylacium.



HÆc Moneta epigraphen ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΚΟΥ exhibens, Judæorum eſt; an verò aſcribenda ſit Herodi Aſcalonitæ, qui Tetrarcha à M. Antonio, deinde Judææ Rex ab eodem & Auguſto renuntiatus legitur; an potiùs Herodi ejus filio, cui cognomen Antipas fuit, quem Herodes pater Galilææ & Peraæ moriens præfecit. Racemus ab una parte ſignificat illum ingentem racemum, quem Celeb & Joſuë è Terra promiſſa Iſraëlitis retulerunt: in altera parte videtur galea equinâ caudâ juxta morem antiquum inſignita. XXXIV. Moneta Judæorum.



HÆc etiam Moneta Judæorum eſt, Herodis ſcilicet Agrippæ, qui Chriſtum deriſit, ut XXXV. Alia Moneta Judæorum

teſtatur inſcriptio Græca, ΒΑCΙΛΕΩC ΑΓΡΙΠΑ, cum tabernaculo, quod feſtum Tabernaculorum apud Judæos celebre deſignat. Tres autem ſpicæ in averſa parte depictæ repręſentant feſtum Paſchæ, in cujus ſecunda die offerebantur Deo ſpicæ, & primitiæ frugum terræ.



XXXVI. Domitianus.

NUminus iſte ultimus eſt Domitiani, in cujus averſa parte ſunt duo cornucopiæ decuſſata, cum hac epigraphe, ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ ΕΤΟ. ΚΖ. *Regis Agrippæ anno* 26. Herodis ſcilicet Agrippæ, prioris Agrippę filii, qui partes Veſpaſiani, Titi & Domitiani in bello Judaïco ſecutus eſt, teſte Joſepho his verbis: *Veſpaſianus comitante Agrippa Rege Tyrum perrexit*. Eam contraxit cum Domitiano amicitiam, ut ejus nomen in ſuo nummo expreſſerit, ſicut Auguſtus effigiem Polemonis, & Trajanus Sauromatis.

EZECHIELIS SPANHEMII
DE
NUMMO SMYRNÆORUM,
SEU
de Veſta & Prytanibus Græcorum,
DIATRIBA.



INTER præclaros nummos, quos primus publici juris fecit Vir elegantis induſtriæ, & harum antiquitatum amore ac peritia ſingulari haud ita pridem in hac urbe excellens, P. Seguinus, occurrit inſignis ille Smyrnęorum Nummus aureus, in cujus anteriori parte viſitur Caput muliebre turrigerum, illinc Mulier ſtans cum calatho in capite, ſiniſtra manu Victoriam tenens, columnæ præterea innixa, cum inſcriptione ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, *Smyrnæorum Prytanes*. De hoc nummo, quod quanti-

vis pretii mihi videretur, & quædam præferre haud vulgo obvia ac Seguino intacta, aut alioquin ab ejus explicatione aliena, nonnulla jam alibi monui, eaque maxime, quæ ad poſtremæ hujus figuræ ac inſcriptionis lucem opportuna tum mihi videbantur. De quibus agendum hic denuo in eorum gratiam, qui id à me petiere, eademque ſimul plenius illuſtranda.

Diſſ de Num. pag. 292. & ſeq.

I. De Smyrna Amazone in Nummis Smyrnæorum.

De turrigero Capite, quod in prima nummi area ſignatur, res minus videtur ambigua, quin ad conſuetum in antiquis nummis vel Urbium, vel turrigeræ Deûm Matris ſymbolum, referri continuo debeat. Poſtrema equidem in Smyrnæorum, quorum iſte itidem, nummis haud infrequens, modo ſedens cum tympano & patera; modo in bigis leonum, cujuſmodi plures videas hic in Regia Gaza, eoſque utplurimum M. Aurelii, Commodi, Severi, ac filii ejus Caracallæ temporibus cuſos. Unde & Μητρώου, ceu *Magnæ Matris*, Templi apud Smyrnæos mentio cum apud Strabonem, tum in antiquo Smyrnæorum & Magnetum Fœdere. Smyrnæ vero Amazoni, à qua urbem conditam ac denominatam ferunt, poſſet quis forte eandem turrigeri Capitis figuram tribuere. Vulgo enim illa cum turrigero Capite in præclaris aliquot Smyrnæorum Nummis ſpectatur; ſed, quod prȩterea mendum, alio ferme

lib. 14 p. 646.

In Marm. Oxon. p. 10.

turriti

turriti Capitis habitu, cum Bipenni inſuper, ſolito Amazonum inſigni; qualis etiam nummus extat in hac Seguiniana Collectione, & cui geminum è Cimeliarchio illuſtris Harlęi depromptum hic vides, in quo hinc eadem turrigera Amazon cum Bipenni, ac eadem inſcriptione, CMYPNA, *Smyrna;* illinc Prora navis, & nomen CMYPNAIΩN, *Smyrnæorum.* Pag. 31.



Eandem verò Smyrnam Amazonem cum Bipenni pręferunt etiam plures nummi Cęſariani, quos recondunt illuſtria Cimeliarchia. Talis occurrit in Gaza Medicea, hinc cum Saloninæ Gallieni conjugis effigie, illinc cum Muliere turrigera & cothurnata, quæ dextra Templum, ſiniſtra Bipennem geſtat cum Clypeo ac inſcriptione, CMYPNAIΩN Γ. NEΩKOPΩN EΠI Γ. CEΞTOY. *Smyrnæorum Ter Neocororum Sub Caio Sexto.* Haud abſimiles aliarum quoque Auguſtarum nummos, cum hac Smyrna Amazone, Templo ac Bipenni, ſpectare licet hic in Cimeliarchio Regio; unum nempe Juliæ Mamęæ inſcriptum,

CMYPNAIΩN Γ. NEΩKOPΩN EΠ. CTP. ANTIOXOY. *Smyrnæorum Ter Neocororum Sub Prætore Antiocho;* alterum Juliæ Mςſæ, EΠ. C. M. AYP. TEPTIOY ACIAP. *Sub Prætore M. Aurelio Tertio Aſiarcha.* Ita enim legendam & explicandam poſtremam hanc vocem, non ACIAC, cum eruditis Antiquariis, liquet ex alio Gordiani nummo Regiæ itidem Gazæ, cum inſcr. CMYPNAIΩN Γ. NEΩK. EΠI TEPTIOY ACIAPXOY, *Smyrnæorum Ter Neocororum Sub Tertio Aſiarcha.* Addere verò prioribus liceat alium Caracallæ nummum in eadem Gaza, in quo hæc Smyrna Amazon viſitur dextra ſimiliter Templum, ſiniſtra Bipennem & Clypeum tenens, CMYPNAIΩN Γ. NEΩKOPΩN EΠI KPHTAPIOY, *Smyrnæorum Ter Neocororum Sub Cretario.* Quos nummos hic in Lectoris gratiam ſubjicere haud omnino ingratum aut inconſultum duxi, unde lux etiam haud vulgaris Horatio dicenti, *AmaZonia ſecuri Dextras obarmet.* *Lib. 4. Od. 4.*





Mitto alios adhuc vel Caracallæ vel Juliæ Mamææ nummos, in eadem Gaza obvios, qui hanc Amazonem Smyrnam cum Bipenni itidem ſignant. Unum verò ejuſdem generis præterire hic non licet, Tranquillinæ nummum, quem jam edidit vir optime de his antiquitatibus meritus, quique totus opportune in eas incumbit, Cl. *Spon*, cum ſimili Smyrnæ, Amazonis Templum ac Bipennem geſtantis, effigie ac inſcriptione, CΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΡΟΥΦΙΝΟΥ CΟΦΙ. *Smyrnæorum Ter Neocororum* Sub *Rufino Sophiſta*. Ita enim poſtremam hanc vocem explicandam liquet, non de aliquo *Militiæ Duce*, ut eandem interpretantur diligentes Antiquarii, eo forte inducti, quod apud Triſtanum inter nummos Severi viderant quendam Smyrnæorum nummum, quique occurrit hodie in Gaza Regia, inſcriptum, inter alia, ΕΠΙ CΤΡΑ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ CΟΦΙ. *Sub Prætore Claudio Rufino Sophiſta*. Neque vero *Militiæ Ducem*, ſed *Prætorem Urbanum* ea voce Στρατηγὸς denotari in nummis id genus antiquis, abunde alias notum. Ambo autem hi *Rufini*, quod vel nummi illi, Severi & Gordiani temporibus cuſi, arguunt, vere *Sophiſtæ Smyrnæi*; ne de priori, id luculento Philoſtrati in Vitis Sophiſtarum teſtimonio firmem; quod jam vidit Triſtanus, cuique ſuffragantes rurſus occurrunt alii

De Sophiſtis Smyrnæis in nummis.

in Hermocrate p. 604.

itidem Severi nummi, cum Cybele turrigera ac leonibus; aut cum Hercule, & eadem inſcriptione, ΕΠΙ CΤΡΑ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ CΟΦΙ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub Pratore Claudio Rufino Sophiſta Smyrnæorum.* Unum mitto Juliæ Severi conjugis nummum, in quo idem *Rufinus* commemoratur cum omiſſo *Sophiſtæ*, quod plures ei tribuunt, nomine, ΕΠΙ CΤ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ CΜΥΝΑΙΩΝ. *Sub Pratore Rufino Smyrnæorum.* Hujus vero Claudii Rufini, Smyrnæi Sophiſtæ, ac ejuſdem *Præturæ*, ceu Στρατηγίας, mentionem rurſus præclaram ſuppeditat Reſcriptum Severi & Antonini Caracallæ ad
pag. 304. Smyrnæos, editum in Appendice ad Marmora Oxonienſia, & quod conſulat ibidem Lector. Id Smyrnæ vero peculiare, ut Sophiſtis eſſet non ſolum frequens, ſed inſuper ut plurimum iis tribueret; quod clare in Heraclide ac alibi docet
Σμύρναν ἐτράπετο θύουσαν δὴ μάλιστα πόλεων ταῖς τῶν Σοφιστῶν Μούσαις. pag. 608. Philoſtratus. Immo unde factum, ut ſummæ ibi rerum ſub *Pratoris*, *Stephanophori*, aut *Prytanum* nomine haud ſemel præeſſent id genus Sophiſtæ, indeque eorum nomina publicis Nummorum aut Inſcriptionum monumentis ſignarentur. Mitto quæ de *Polemone* ſummæ auctoritatis apud eoſdem Smyrnæos viro ac Sophiſta, cum è Philoſtrato, tum è Nummis Antinoi, à quo Polemone iidem in Hadriani honorem cuſi, aliunde jam harum antiquitatum ſtudioſis nota.

Sic alterius etiam Smyrnæi Sophiſtæ, *Attali* nempe hujus Polemonis filii mentio, obvia non ſemel in Nummis Aurelii; cujus generis tres maximi, ut vulgo aiunt, moduli, ceu *Medaglioni*, eoſque diſpares videas in Cimeliarchio Regio. Unum jam edidit Triſtanus; duos reliquos haud illibenter, ad demerendum Lectorem, cui non ingrata id genus cimelia, hic vulgamus, qui omnes eandem inſcriptionem præferunt, ΑΤΤΑΛΟϹ ϹΟΦΙϹΤΗϹ ΤΑΙϹ ΠΑΤΡΙϹΙ ϹΜΥΡ. ΛΑΟ. *Attalus Sophiſta Duplici Patriæ Smyrnæ, Laodiceæ.*



Prior nempe nummus, quod minus alioquin obvium in his monumentis, cum duplici Jovis effigie, una ſtantis cum Aquila Jovis *Philalethis*, veri Laodicenſium Numinis, de quo nos nuper ad Juliani Cæſares; altera ſedentis, cum Victoria, quam præfert, Jovis *Acræi*, ſeu in arcibus urbium culti, juxta Pollucem; Smyrnæorum *lib 9. c. 5.* autem, quod aliunde liquet, ſupremi Dei,

ΑΚΡΑΙΟΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ *in Veſpaſ. & alibi.*

eodemque habitu in aliis Smyrnæorum nummis conſpicui. In poſteriori autem nummo, cum rurſus priorem illum ſpectes Jovem Laodicenſem; tum Iſidem ac Nemeſim, ſeu potius duas Nemeſes, tutelares Smyrnæorum, ut aliunde notum, Deas, Μεγάλων Θεῶν Νεμεσέων, *Magnarum Dearum Nemeſium*, ut vocantur in antiquo Smyrnæorum Marmore, & quo habitu etiam utramque videre licet ſculptam in aliis Smyrnęorum nummis Regiæ hujus Gazæ, *niſi* quod adſit ſæpius Rota, unum è ſolitis Nemeſeos ſymbolis; ſed qua de re plenius alibi, ac de *duplici* ſimul illa *Patria* hujus Attali Sophiſtæ, cujus in adlatis modo nummis mentio. Duos vero alios, neque hactenus viſos, alterius itidem *Smyrnæi Sophiſtæ*, *Claudii* nempe *Procli* nummos juvabit hic interea proferre, quorum priorem ſub M. Aurelio cuſum, ſplendida Ducis Vernolii, in quo magnum præſidium ac decus hæc ſtudia nuper amiſere, Gaza recondit; alterum vero cum Fauſtinæ conjugis effigie, in pręclaris Morellii noſtri ſchedis, ceu ectypis, mihi obſervare licuit. In priori vero nummo viſitur Mulier turrita ſedens cum Templo ac Sceptro, verius forte Bipenni, ac inſcriptione, CT. ΠΡΟΚΛΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ ΣΜΥΡ. *Prætore* nempe *Clodio Proclo Sophiſta Smyrnæorum*; in

In Marm. Oxon. p. 94.

altero Fortuna ſtans cum ſolitis Temonis & Cornucopiæ ſymbolis, ac epigraphe, ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΛ. ΠΡΟΚΛΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ, *Sub Prætore Clodio Proclo Sophiſta.*



Procli, ut obiter hoc addam, ſed Naucratitis Ægyptii, & qui Athenis, non Smyrnæ floruit, *Sophiſtæ* meminit Philoſtratus. At vero alterius *Clodii Aurelii Procli*, ejuſdemque *Herois* ibidem dicti, mentio in antiquo Marmore haud ita pridem edito, ac ſimul publicorum, quæ geſſit non Smyrnæ quidem, ſed Thyatiris, munerum; & de quo paulo infra ad Nummum Seguinianum, *Juliæ Proclæ Heroïdis*. *de vit. Sophiſt. pag. 598. in Append. ad Marm. Oxon. pag. 299.*

II. De Vesta in hoc nummo Smyrnæorum, & ejus cultu apud Græcos.

Verum ut ad Seguinianum Smyrnæorum, de quo hic potiſſimum agitur, Nummum redeam, nobilitat eum vel maxime pars ejus averſa, in qua Mulier viſitur velata ſtans, cum Calatho in capite, & Victoria in ſiniſtra, Columnæ præterea, ut jam dictum, innixa, & cum inſcriptione parum obvia, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ,

Smyrnæorum Prytanes. Ad figuram quod attinet muliebrem, eam ad Smyrnam illam Amazonem, de qua modo egimus, refert Cl. Seguinus, idque è papilla unica ſiniſtra nuda, quod Amazonibus ſolemne, continuo colligit. Verum inſpectus à me aliiſque harum antiquitatum peritis nummus, qui extat in Gaza Regia, cum reliqua Seguiniana Collectione, id continuo non arguit, in quo unam equidem papillam tectam, ſed prominentem nihilominus, quodque in aliis Dearum vel Auguſtarum nummis haud ſemel videas. Accedit, quod neque turrigerum ſit Mulieris illius caput, neque eadem Bipennem geſtans, quæ tamen Smyrnæ hujus Amazonis, ut paulo ante vidimus, & liquet pręterea ex eodem Seguino, ſolemnia ſunt in nummis Smyrnæis inſignia. De alia proinde Muliere aut Dea ibidem ſignata quærendum, quam Veſtæ aut Ἑστίας figuram referre, opportune, ut mihi equidem videtur, jam alibi monui; quæ nempe in Gręcarum urbium Prytaneis vulgo colebatur, & cujus ſimulachrum erigi in iiſdem ſolitum. Teſtis ejus rei luculentus Pindarus, haud ignobilis pręclari hujus nummi, juxta Græcum Scholiaſtem, interpres, eo verſu, quo Ariſtagoræ, Tenedii Prytanis, laudes auſpicatur,

Diſſ. de Num. pag. 492.

Παῖ Ῥέας, ἅ τε Πρυτανεῖα λέλογχας Ἑστία. — *Nem. Od. 11.*

Filia Rhea, quæ ſedem ſortita es in Prytaneis, Veſta.

Ad

Ad quem locum hæc notat Græcus interpres, Πρυτανεῖα φασὶ λαχεῖν τὴν ΕΣΤΙΑΝ, παρόσον αἱ τῶν πόλεων ΕΣΤΙΑΙ ἐν τοῖς ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΙΣ ἀφίδρυνται. *Prytanea dicitur ſortita* VESTA, *quod Urbium* VESTÆ *in* PRYTANEIS *ſtatuerentur.* Hinc primus etiam Veſtæ in urbibus Gręcis aut Aſiaticis cultus, ac *Prima Dearum* eadem dicta, quod notat ibidem Pindarus, πρώταν Θεῶν, ac adſerit Gręcus ejus Interpres, adlato etiam eam in rem Sophoclis verſu, additque, Πρώτην δὲ αὐτὴν εἶπε, καθόσον ἀπ' αὐτῆς ἤρχοντο. *Primam vero eam dixit, quia ab ea incipiunt.* Unde natum Gręcorum proverbium, Ἀφ' Ἑστίας ἀρχόμενος, *A Veſta incipiens*, ab Ariſtophane pridem uſurpatum, de quo conſulendi Gręci ejus Interpretes & Parœmiographi antiqui. Inſignis vero eam in rem apud Xenophontem locus, quem aliis intactum pręterire hic non licet, ubi Cyrus Sardes victor ingreſſus, primum Veſtæ, dein Jovi, aliiſque Diis rem ſacram feciſſe legitur: Ἐπεὶ δὲ εἰσῆλθεν ὁ Κῦρος, ΠΡΩΤΟΝ μὲν ΕΣΤΙΑ ἔθυσεν, ἔπειτα Διὶ Βασιλεῖ, καὶ εἴ τινι ἄλλῳ Θεῷ Μάγοι ἐξηγοῦντο. *Quum ingreſſus eſſet Cyrus,* PRIMVM VESTÆ *rem ſacram fecit, deinde Jovi Regi, & ſi cui alteri Deo Magi ſacrificandum indicarent.* Idem in celebritate Olympiaca obſervatum tradit Pauſanias: Θύουσι δὲ ΕΣΤΙΑ μὲν ΠΡΩΤΗ, δεύτερον δὲ τῷ Ὀλυμπίῳ Διί. *Sacra autem faciunt* PRIMÆ, aut *primum,* VESTÆ, *dein Jovi Olympio;* tertio loco, ut ibidem addit, Mercurio; quarto Minervæ; quinto Dianæ. Unde liquet *prima* huic Veſtæ ante Deos alios ſacra,

in Veſpis v. 490.

Inſt. Cyr. l. 7.

Eli. l. 1. p. 313.

non Prytanes ſolum, quibus hoc tribuit Pindarus,

Πολλὰ μὲν λοιβαῖσιν ἀγαζόμενοι ΠΡΩΤΑΝ Θεῶν,

Sæpe quidem libationibus te venerantes PRIMAM *Dearum;* ſed alios paſſim apud Græcos, aut in Gręcis Aſiæ urbibus, feciſſe. Sacra autem illa Veſtæ, non publice ſolum in Prytaneis, ſed domi etiam, immo in ſingulis omnium ferme hominum ædibus recepta, juxta id tradentem Diodorum, idque ob beneficium

Diod. Sicul. l. 5. p. 336. repertæ ab eadem Dea domorum fabricæ: λέγεται τὴν ΕΣΤΙΑΝ τὴν τῶν οἰκιῶν κατασκευὴν εὑρεῖν, καὶ διὰ τὴν εὐεργεσίαν ταύτην παρὰ πᾶσι σχεδὸν ἀνθρώποις ΕΝ ΠΑΣΑΙΣ ΟΙΚΙΑΙΣ καθιδρυθῆναι τιμῶν καὶ θυσιῶν τυγχάνουσαν. Unde factum etiam video, ut ἀφ' Ἑστίας μυεῖσθαι diceretur apud Atticos, non *qui procul à domo*, ut inepte id apud Suidam vertit & explicat interpres, ſed qui a *laribus ac domo* ſeu a *Veſta* primum velut *initiabantur*, & quam in rem locum profert ex Iſæo Harpocration, ὁ ἀφ' Ἑστίας μυούμενος Ἀθηναῖος ἦν πάντως, *a Veſta*, ceu eodem interprete, *a domo initiatus, Athenienſis erat omnino.* Cui conſonum

Αφ' Εστίας, ἀπὸ τῆς οἰκίας. Harpocration.

nempe vulgatum illud apud Græcos, ut paullo ante diximus, Ἀφ' Ἑστίας ἀρχόμενος, *a Veſta*, ac inde obvio ſępe apud auctores ſenſu, *a domo ac laribus incipiens.* Et præterea unde lucem mutuantur, quæ legas in duabus Inſcriptionibus Eleuſiniis, quas haud uno loco nuper vulgavit Cl. Sponius. Una eſt, in qua occurrit

Itin. t. 3. p. 2. pag. 104. Ibid. p. 193. inter alia, ΤΟΝ ΥΙΟΝ ΜΥΗΘΕΝΤΑ ΑΦ'ΕΣΤΙΑΣ; altera, ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΜΥΗΘΕΙΣΑΝ ΑΦ'ΕΣΤΙΑΣ; quoſque liberos, tanquam *a Veſta*, ſeu *a domo ini-*

tiatos, Deabus Eleuſiniis, Parentes ibidem vel Areopagitarum Senatus Populuſve Athenarum conſecrant. Hic enim genuinus, ut vel ex ante dictis liquet, illarum Inſcriptionum ſenſus; quamquam, ne quid diſſimulem, eum turbet aliquantum adſcripta in priori, ΤΑΙΝ ΘΕΑΙΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ, pro ΤΑΙΣ ΘΕΑΙΣ, ut in poſtrema factum, mentio. Ex his autem, fax iterum haud vulgaris, obſcuro neque hactenus intellecto apud Callimachum loco, qui priora etiam haud parum illuſtrat; ſcilicet ubi agit de ſacris Cereris Theſmophoricis, & mulieribus initiatis, aut adhuc initiandis.

Μέσφα τὰ τᾶς πόλιος Πρυτανήια τὰς ἀτελέστως, *Hymn. in Cer. v. 129. & ſeq.*
Τὰς δὲ τελεσφορίας ποτὶ τὰν Θεὰν ἄχρις ὁμαρτεῖν,
Αἵ τινες ἑξήκοντα κατώτεραι, αἵτε βαρεῖαι.

Vſque ad urbis Prytaneum non initiatæ,
At initiatæ ad ipſam Deam uſque congrediantur,
Tam ſexaginta annis minores, quam majores.

Ut domi ſcilicet, quod e Diodoro vidimus, privata Veſtæ ſacra, ſic in Prytaneis, ubi publicus apud Græcos illius cultus, & a qua, *Dearum*, juxta Pindarum, *prima*, vulgo ſacrorum auſpicium, ei velut primo initiati Athenienſes, ad quorum morem alibi etiam receptum adludit toto hoc Poëmatio Callimachus; antequam Cereri ſeu Deabus Eleuſiniis, ſolemni dein ritu, initiarentur. Ejus autem rei rationem haud obſcuram e Servio colligas, *Veſtam Religionem dicit, quia nullum ſacrificium ſine igne eſt, ipſaque in omni-* *Ad lib. 1. Æneid.*

bus invocatur, addo & *ante omnia.* Unde etiam in alia Inſcriptione, a Cl. Sponio itidem edita, Veſtam ante Apollinem alioſque Deos commemorari videas,

Ibid. to. 3. p. 2. pag. 104. ΕΣΤΙΑ ΚΑΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΚΑΙ ΘΕΟΙΣ ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ, *Veſtæ Et Apollini Et Diis Auguſtis.* Immo inde factum quoque obſervo, ut *per Veſtam*, ante Deos Deaſque alias, Græci olim in ſolemnibus Fœderum, aut Oratorum formulis, aut vulgo etiam in re gravi ac ſeria adjurare conſueſſent; quorum prius utique liquidum e duabus Inſcriptionibus Cretenſibus, quarum prior Latiorum & Olontiorum Fœdus

In Syntagm. Reineſ. p. 501. continet, ΟΜΝΥΩ ΤΑΝ ΕΣΤΙΑΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΖΗΝΑ, *Juro per* VESTAM, *Jovem*, &c. Altera Hierapytnenſium apud Gruterum, ubi petitum etiam a Veſta jurisjurandi ante Deos, Deaſve alias, qui ibi-

Theſ. Grut. DV. dem commemorantur, auſpicium, ΟΡΚΟΣ, ΟΜΝΥΩ ΤΑΝ ΕΣΤΙΑΝ, *Jusjurandum; Juro per* VESTAM, &c. qua de re iterum paullo infra. Ad publicum autem hujus Veſtæ, de quo hic agitur, in Prytaneis Gręcorum cultum, adludit etiam Pollux:

L. 1 c. 1. §. 4. Ἐφ' ὧν δὲ θύομεν ἢ πῦρ ἀνακαίομεν, βωμὸς, θυμιατήριον, ΕΣΤΙΑ. ἔνιοι γὰρ οὕτως ὀνομάζουσιν· οὕτω δ' ἂν κυριώτατα καλοῖτο ἡ ἐν τῷ ΠΡΥΤΑΝΕΙΩ, ἐφ' ἧς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον ἀνάπτεται. *Supra quæ ſacrificamus, aut ignem accendimus, ara, acerra, focus, vel* VESTA; *ſic enim a nonnullis nominatur; proprie tamen ita dicitur, quæ eſt in* PRYTANEO, *ſupra quam ignis æternus accenditur.* Ἑστία enim, ut notum, cum pro Dea, ſeu *Veſta*, tum pro *Foco publico* ſeu

Ara, quæ eidem Deæ in Prytaneis ſacra. Unde etiam ſicuti ex hoc præclaro Smyrnæorum nummo, in quo *Veſta* & *Prytanes*, quæque modo ad ejus illuſtrationem dicta, lucem mutuatur inſignis Æſchyli locus,

Σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον, *Suppl. v.375. &c.*
ΠΡΥΤΑΝΙΣ ἄκριτος ὤν,
Κρατύνεις βωμὸν, ΕΣΤΙΑΝ χθονός.

Tu quidem Urbs, tu vero Populi communitas, PRYTANIS *ſupremus cum ſis, Præſes altari,* VESTÆ *hujus terræ.* In quibus equidem verbis, quibus Argivorum Regem compellat ſupplex Danaûm turba, liquet continuo reſpici ad morem in Græcis urbibus receptum, quo Veſtæ in Prytaneis ſtatuebantur, & ejuſdem cultus ſeu ſacra ignita a Prytanibus, ut paullo ante e Pindaro vidimus, curabantur. Hinc & *Urbis*, & *Populi*, & *Prytanis*, & *Aræ*; ac *Veſtæ Terræ* ſeu *Urbis* mentio in eodem loco, cujus optimum dabimus interpretem Tullium, *cumque* VESTA, *quaſi* *De Legib. l. 4.* FOCVM VRBIS, *ut Græco nomine eſt appellata, complexa ſit.* Sic Ἑστία πόλεως apud Pollucem, qua de re paullo infra. Ut non mirum proinde videri debeat, Romanorum Veſtam vocari itidem in Romanis aliquot nummis, *Veſtam Populi Romani Quiritium*, VESTA P. R. QVIRITIVM; quod rurſus illud Æſchyli τὸ Δήμιον, & Ἑστίαν Χθονός, *Populi Commune*, & *Veſtam Terræ*, haud parum illuſtrat, indeque etiam aliquid lucis fœneratur. Neque etiam inſolitum, quod ibi *Aram*, & *Veſtam*, Βωμὸν καὶ Ἑστίαν pro eo-

dem ſumat Æſchylus; quum & alibi, præter adlatum modo Pollucis locum, apud ſequentes Tragicos, Sophoclem ac Euripidem, Ἑστίαν pro *Ara* non ſemel uſurpatam videas; ſicuti, ut alia mittam, eo verſu, ubi Argivorum præco de Herculis liberis ad Aras Grecorum profugis loquitur,

Heraclid. v. 145. Πολλῶν δὲ κ' ἄλλων ΕΣΤΙΑΣ ἀφιγμένων,

Cum vero multorum aliorum ad ARAS *confugiſſent.* Scilicet inde etiam Ara illa, ceu Ἑστία hujus Deæ, ſolemne Aſylum, ad quod confugere rei ac ſupplices ſoliti, ut de Theramene in vita Iſocratis notat Plutarchus, φυγόντος ἐπὶ τὴν βουλαίαν (de qua appellatione paullo infra) Ἑστίαν, *fugientis ad Aram in Curia*, ſeu Prytanitidem; & in Eroticis Parthenius, de ſedente

Cap. 18. apud Naxios ſupplice Hypſicreonte, ἐπὶ τῆς Ἑστίας τῆς ἐν Πρυτανείῳ, *apud Aram Veſtæ quæ eſt in Prytaneo.* Hinc

Lib. 1. Ἐφέστιοι, *ſupplices*, etiam dicti, & Ἐφέστιος Jupiter, Herodoto Ἐπίστιος, cum Hoſpitalis, tum ſupplicum Præſes;

a Suppl. v. 1. b Ibid. v. 390. c Ibid. v. 488. idem nempe qui Æſchylo modo [a] Ἀφίκτωρ, modo [b] Ἱκτήρ, modo etiam [c] Ἱκταῖος, quod fruſtra apud Lexicographos

Agamemn. v. 712. quæras, vulgo Ἱκέσιος & Ἱκετήσιος; ſicut alibi apud eun-

Trach. v. 208. dem, Ξυνέστιος, ſeu *Hoſpitalis* dictus. Unde apud Sophoclem ἐφέστιοι ἀλαλαγαὶ, juxta Græcum ejus interpretem, *cantus in ſacris ſolemnes*, ſeu rectius, *cantus lararii*, apud Lares nempe aut ſacrum ædium focum

Helen. v. 878. fieri ſoliti; haud aliter ac apud Euripidem obſervo, ἐφέστιον φλόγα, interpreti *larariam flammam*; de face ſcilicet accenſa & piaculari, qua Theone domo egreſſa,

Ægyptiorum more purgari aërem, pollutamque, qua incederet, viam, jubet, eandemque mox intra ædes, ſeu ad Focum ac Lares ædium referri. Immo nec pro *Ara* ſolum, aut *Foco* cum publico, tum privato etiam, ſed & pro *Igne,* qui in eodem accendi ſolitus, vox illa Εςίας haud ſemel accepta; primigenia nempe vocis illius, & ex Oriente, ut notum, juxta cum cultu Ignis ſeu Veſtæ traductæ, ſignificatione. Neque tamen id ex alio Æſchyli loco, fide noviſſimi ejus interpretis, colligas, qui hunc Poëtæ verſum, Τίω δ' ἀθέρμαντον Εςίαν δόμων, male vertit & nullo ſenſu, *Colo* IGNEM *Ædium non caleſcentem;* rectius *focum non caleſcentem, un foyer froid & ſans feu.*

Vide in Not. ad Æſchyl. Choep. v. 627.

Fallitur vero ὁ πάνυ ad Atheneum, cui ignis ille Veſtæ, in Græcorum Prytaneis, *nil niſi lucerna ſemper ardens.* Penſiles quidem lychnuchi paſſim in Deorum delubris, quod tradit * Plinius; iique, ut aliunde liquere videtur, vulgo in Græcorum Prytaneis ſemper ardentes; unde & mirabilis ille Lychnuchus in Tarantinorum Prytaneo a Dionyſio juniore poſitus, in quo tot arderent lucernæ, quot dies anni. Immo unde illud a Theocrito, & de quo ibidem Caſaubonus, proverbii loco uſurpatum, τὸ λύχνιον ἐν Πρυτανείῳ, *Lychnuchus* ſeu *lucerna in Prytaneo;* inde enim, nec aliunde cum viris magnis Scaligero & Dan. Heinſio, quærenda illius & ſequentis apud Poëtam loci ratio. Mitto hic quod Plutarchus, ubi de Veſtalibus ei ſermo, & cuſtodia æterni ignis apud Græcos etiam re-

III. De VESTÆ Lucernis, Igne, Face, in Prytaneis ac Nummis.

* *Lib. 34. c. 3.*

Athen lib. 15.

Idyll. 21.

In Numa. cepta, exemplum adfert *exſtinctæ* ſub Ariſtone *ſacræ* apud Athenienſes *lucernæ*, ἀποσβεσθῆναι τὸ ἱερὸν λύχνον. At præter penſilem lucernam, Ara & Ignis ibidem ſemper ardens, vulgo in Græcorum Prytaneis. Unde factum etiam ut Ἑστία, quod ex Æſchylo aliiſque jam ante vidimus, non pro *Foco* ſolum, ſed & pro *Ara* ſumatur, & Πρυτανεῖον quaſi πυρὸς ταμιεῖον, ſeu *ignis promptuarium* dictum a veteribus Grammaticis credatur. Clare autem de Eleorum Prytaneo, & Veſtæ in eo ſacrario tradentem Pauſaniam legas: Ἐν δὲ αὐτῷ τῷ ΠΡΥΤΑΝΕΙΩ παριόντων ἐς τὸ οἴκημα, ἔνθα σφίσιν ἡ ΕΣΤΙΑ, Πανός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τῆς εἰσόδου βωμός· ἔστι δὲ καὶ ἡ ΕΣΤΙΑ τέφρας καὶ αὐτὴ πεποιημένη, καὶ ἐπ' αὐτῆς ΠΥΡ πᾶσάν τε ἡμέραν καὶ ἐν πάσῃ νυκτὶ ὡσαύτως καίεται. *At in ipſo* PRYTANEO *cum ad eam acceſſeris cellam, in qua Focus ſeu* VESTA, *ad primi ingreſſus dextram Panos aram videas. Eſt autem Focus ille e cinere ſubſtructus*, PERPETVO IGNI *tam interdiu quam nocte* ADOLETVR. Additque, receptum, ut ab eo Foco cinis ad Jovis Olympii Aram transferretur. Panis vero Ara, ut obiter moneam, Foco ſeu Veſtæ, in eodem Prytaneo vel inde proxima, quod Deus ille Capripes tum lampade accenſa, tum perpetuo igne haud uno in loco coleretur. Pani certe ignem inexſtinctum ſacratum apud Arcadas docet alibi idem Pauſanias; & Arcadum exemplo apud Athenienſes in Arce, ardente lampade, ſeu lampadum certamine, eundem Pana cultum, tradit Herodotus. Unde lux etiam a me nuper admodum adlata,

Lib. Eliac. 1. pag. 516.

In Arcad. p. 516.

Lib. 6.

adlata, cum veteri nummo, in quo Pan depictus, *Ad Juliani Cæſares pagg. 49. & 490.*
qui utraque manu facem, Græcis *lampada* etiam dictam, tenet; tum antiquæ Inſcriptioni a Reineſio editæ, & cujus mentem, ut ipſe agnoſcit, haud erat adſecutus, LVCIDO PANI. Immo quam in rem occurrit mihi opportune expreſſa itidem Veſta cum Face, in Romanis aliquot nummis, ut Vitellii, cum inſcript. paullo ante commemorata, VESTA P. R. QVIRITIVM; tum Saloninæ Gallieni, ſub Veſtę habitu depictæ, cum elogio, VESTA FELIX, qualem jam edidit Triſtanus. Juvabit vero haud minus *Tom. 3. p. 105.*
utrumque, illuſtrandæ, de qua modo egimus, rei, hic adponere; quorum priorem, Vitellii nempe, paullo ab eo, quem apud Triſtanum videas, diverſum ſuppeditavit Cimeliarchium Pariſienſe S. Genovefæ, Claudii du Molinet Canonici Regul. ſummo ſtudio e divite Peireskiana penu locupletatum; in quo viro, cum peritia rerum antiquarum inſigni, quod pluris longe facio, excellit probitas, modeſtia, humanitas, plenum officii & candoris pectus.



Unde & accenſam facem, ἐφέστιον φλόγα, dictam mo-

do vidimus ab Euripide. Utrumque vero, de quo paullo ante egimus, cum Lucernæ ſcilicet accenſæ, tum Ignis in Ara perpetui ritum, Romæ itidem in cultu Veſtæ obſervatum, vel ex veteribus nummis, iterum colligas, in quibus modo Veſta, ſeu Veſtalis verius depicta, quæ dextra Lampadem præfert, ante eam Ara cum igne accenſo; modo etiam Ara tantum & Ignis; aut ante eam libans Dea vel Deæ Sacerdos, adſcripta vero in ſingulis Deæ nomen VESTA.



IV. De VESTÆ Symbolis in Nummis Romanis. Neque vero, quod arguere inde quis poſſet, eoque meam de hoc Smyrnęorum Nummo interpretationem convellere, Ara ſolum, aut Ignis ſupra eandem accenſus, aut quæ magni, ut diximus, Caſauboni ſententia, Lampas ardens, unum hujus Veſtæ in Prytaneis Gręcorum ſymbolum; nullum pręterea aliud ejus Deæ ſimulacrum. Id equidem de Romanorum Veſta tradentem novimus Ovidium:

Faſt. l. 6. *Ignis inexſtinctus templo celatur in illo,*
Effigiem nullam Veſta nec Ignis habet.

atque iterum:

Nec tu alibi Veſtam, quam vivam intellige Flammam,

eaque firmantes aliquot Romanos nummos, in quibus Ara ſolum exſtat, ut modo vidimus, cum igne accenſo; aut ſacra facientes ante Aram in Templo Veſtales; vel nudum quandoque Veſtæ Templum, citrà ullum aliud Deæ ſimulacrum, adſcripto tamen ejus nomine, VESTA, aut VESTA MATER; cujus generis ectypa præ aliis haud ita pridem illuſtravit pręclaræ vir induſtriæ ac eruditionis Jac. Oiſelius. Neque minus tamen obvium in aliis Romanorum nummis Veſtæ hujus ſimulacrum, velatæ nempe Mulieris, quæ Palladium tenet, cum Haſta quandoque & Patera, ſolitis Dearum inſignibus; aut alioquin cum ſimulacro ejuſdem Deæ in Templo, ſeu Ara in medio Templi, deſuper autem Dea, ante eam vero ſacra facientes Veſtales. Quæ ſingula nummi ſequentes, iique haud vulgares, ante oculos ponunt.



Prior Saloninæ Gallieni, iſque Regiæ hujus Gazæ cum inſcriptione, VESTA AETERNA; alter

cum elogio VESTAE SANCTAE; tertius, in quo VESTA MATER: hi duo autem poſtremi cum Juliæ Severi effigie in prima nummi area. Haud obſcura vero horum elogiorum, Veſtæ in iiſdem nummis tributorum ratio. AETERNA nempe VESTA; quod nomen ei quoque largitur Horatius, *æternaque Veſtæ*, ob æterni, ut liquet, Ignis cuſtodiam, quomodo eundem vocat Maro, ubi de Veſta ei itidem ſermo:

Lib. 3. Od. 5.

Æternumque adytis effert penetralibus Ignem;

Æneid. l. 2.

ac alibi de illo *Igne*, quem vocat *vigili*, additque, *Excubias Divum æternas;* Græci autem ſimiliter πυρὸς ἀθανάτου nomine nuncuparunt. Hinc velatum etiam caput hujus Deæ, ſicut alia vulgo ÆTERNITATIS ſymbola in veteribus nummis. SANCTA vero dicta etiam in altero nummo eadem VESTA, tum juxta ſimilem appellationem Diis aliis ac Deabus haud ſemel conceſſam, in veteribus lapidum nummorumve monumentis, APOLLINI SANCTO, MINERVAE SANCTAE, DIANAE SANCTAE, HERCVLI SANCTO, ac ſimilibus; tum ut Veſtæ proprium, tanquam pudicæ, immo Pudicitiæ in antiquis nummis quandoque, quod notum, ſymbolo, ac unde illud veteris Poëtæ, *Licebit ipſa ſis pudicior Veſta;* & quo ſenſu Veſtales, *Virgines ſanctæ* dictæ alibi apud Horatium. Hinc παρθενικὸν ἄγαλμα,

Ibid. l. 4.

Porphyr. de Ab. l. 2.

In Priapeiis.

Lib. 1. Od. 2.

virgineum ſimulacrum , Veſtæ a Porphyrio apud *Præp. Evang.*
Euſebium, de quo loco mox uberius, tribuitur. *l. 3.*
Peculiarem vero ejus rei fontem aperit alicubi Gręcus Ariſtophanis Interpres, ſed Gręca fide; quod *Ad Veſpas*
Veſta ſcilicet, poſt debellatos Titanas, optione ha- *pag. 492.*
bita petere quod vellet, continuo virginitatem petierit. Quo referre etiam liceat, quod *Ara Pudicitiæ* occurrat in nummis Plotinæ, nempe ARA PVDIC. aut quod alioquin apud Euripidem legas,

Ἱκέτιν πρὸς ἁγνοῖς Ἑστίας θάσσειν βάθροις. *Hercul. Fur.*
Supplicem ad ſanctas Laris aut Veſtæ *ſedes ſedere.* *v. 715.*
MATER vero cur nihilominus dicatur in poſtremo nummo eadem VESTA, ſicut in veteri inſcri- *Theſ. Grut.*
ptione VESTAE MATRI, aut vero apud Maro- *CXXI. I.*
nem, *Veſtaque Mater*, abunde liquet ex eo, quod *Georgic. l. 1.*
vulgo eadem quæ Terra, aut vero Deûm Mater Rhea cenſeretur. Hinc *primæ* etiam *Veſtæ*, ut paullo ante vidimus, ante Deos alios cultus, eademque non Virginis ſolum, ſed Mulieris habitu, juxta Porphyrium, ut mox videbitur, depicta; & ſi aliis *Albricius de*
fides, infantem gremio fovens, quod poſtremum *Deor. Imag.*
tamen in veteribus nummis, in quibus frequenter occurrit adhuc eadem Veſta, haud facile reperias. Immo ſicut MARS PATER cum alibi, tum in nummis aliquot antiquis, ſic MATER Romanis dicta vel ideo VESTA, tanquam unum e Tutelaribus Urbis, ac Domus imprimis Auguſtæ, quo-

rum utrumque innuit ibidem Maro, Numinibus,

Georgic. l. 1. *Di patrii indigetes, & Romulo, Veſtaque Mater,*
Quæ Tuſcum Tiberim, & Romana palatia ſervas.

Hinc, quod obſervo, TVTELARIS VESTA, Romæ nempe, in veteri Urbis Kalendario. Poſtremum vero de *Palatio*, ſeu Domo Auguſta, indicat etiam Ovidius, a quo *Cæſareos inter ſacrata Penates*, ac inde *Cæſarea* dicitur eidem *Veſta*. Quæ egregie illuſtrat cum pręclarus nummus, quem vidiſſe olim juvit cum Templo, Sacrificio, ac elogio, quale etiam apud Goltzium legas, VESTAE AVGVSTAE; tum inſcriptio in honorem Juliæ Severi, a Cl. Sponio edita, ΙΟΥΛΙΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΕΣΤΙΑΝ ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ, *Juliam Auguſtam Veſtam Novam Cererem*. Eadem nempe *Julia*, ad quam ſpectat ſuperior nummus inſcriptus VESTA MATER. De Cerere vero eadem quæ Veſta, dicetur paullo infra, & de qua vetus inſcriptio in Reineſiano Syntagmate legitur, ubi inter alia CERERI MATRI MAXIMAE, ut jam de nummis nihil dicam, in quibus obvia CERES AVGVSTA, haud aliter ac IVNO vel VENVS AVGVSTA. Suidam vero, haud moror, qui Pateram, quæ & alibi in Romanis Veſtæ nummis conſpicua, pro Tympano videtur accepiſſe, ubi Veſtam inſtar Terræ cum Tympano, quod fruſtra rurſus in antiquis ac reſiduis Veſtæ ſimulacris quæras, depi-

Metam. l. 15.

Itin. tom. 3. p. 2 pag. 223.

Syntag. p. 61.

ctam tradit; ni Veſta eadem illi ſtatuatur quæ Rhea, qua de re iterum, utraque proinde pro Terra, de qua Suidæ ibidem ſermo: Γῆς ἄγαλμα γυναῖκα πλάττουσι τὴν Ἑστίαν, οἱονεὶ τὴν Γῆν τύμπανον βαστάζουσαν. *Terræ ſimulacrum, Veſtam, id eſt Tellurem, fingunt Mulierem tympanum geſtantem;* addita etiam ratione, quod Terra ventos in ſe concludat. Eadem videas tradentem in voce Ἑστία; & vulgata aliunde ac nota, quæ de *Veſta* ac *Terra*, tanquam eodem numine, paſſim veteres monent, & quam in rem uſurpare obiter liceat illud Æſchyli:

Γαῖα πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία· *Prom.v.210.*

Terra multarum appellationum una forma.

Hinc idem Solis ac Veſtæ ſeu Terræ Pontifex, in Marmoribus antiquis, PONTIFICI SOLIS PONTIFICI VESTAE: alibi PONTIFICI VESTAE PONTIFICI SOLIS. *Theſ. Grut. ccccxxxviii. 1. & mcii. 2.* Adde haud mirum videre eadem Veſtam, quam ſuperior nummus, in quo VESTA MATER, exhibet, in Templi penetrali, quum vulgo illa in Templi aut Ædium penetralibus fuerit culta; unde jam olim Virgilio *canæ penetralia Veſtæ* haud ſemel dicta; *Æn l.5.& 9.* Arnobius vero in *penetralibus Veſtæ ignis*, ſeu ut in editione Batavica a *Lib. 2.* Salmaſio recenſita legitur, in *penetralibus caligineis perpetuos ſervatis focos.* Hinc jam olim dicta Gręcis eadem Veſta, *mediam domum obtinere*, ἣ μέσον οἶκον ἔχεις, juxta verſus Orpheo tributos; aut in mediis ædi-

bus ſtatui, κατὰ μέσοις ἵδρυται τοῖς οἴκοις, apud Phornutum. Unde etiam, quod pręterea obſervo, Ἑστίας μεσομφάλου, ſeu *Aræ penetralis* mentio alicubi apud Æſchylum, ejuſque exemplo apud Euripidem, Ara ſeu Templum Delphicum, vocatur μεσόμφαλος Ἑστία, nempe quod alibi rurſus Æſchylus dixerat, μεσομφάλοις Πυθίοις χρηστηρίοις, *umbilicariis Pythicis Oraculis*; ſeu juxta veterem Poëtam in Priapeiis, qui eo videtur adluſiſſe, *Delphon Pythius, orbis umbilicum*. Immo ipſa Gręcorum Prytanea, in quibus Veſta, ejuſque Ara, vulgo in urbium penetralibus; unde Livius alicubi, *Cyzico in Prytaneum, id eſt in penetrale urbis*. Nec obſcura ejus rei ratio; quod nempe Terra ſeu Veſta, ut Dionyſius loquitur, medium Mundi locum ſortita ſit; unde etiam Ἑστία ἡ κεντροφόρος, *Veſta centrum univerſi complexa*, a Porphyrio traditur; aut vero quod juxta Pythagoreos, teſte Plutarcho in Numa, univerſi hujus Mundi medium Ignis obtineat, quem Ἑστίαν καὶ Μονάδα, ſeu *Veſtam & Unitatem* vocant.

Agamemn. v. 1065.
In Ion. v. 461.
Sept. ſup. Th. v. 753.
Lib. 41. c. 20.
Dion. Halic. Antiq. l. 2.
Euſeb. Prap. Evang. l. 3. pag. 110.

V.
De VESTÆ Simulacris in Prytaneis.

Verum ut ad ſimulacrum hujus Deæ, & de quo hic ſermo, redeam, cavendum proinde ne vel magno Caſaubono, ut jam monui, aut vero [a] Lipſio ac [b] J. Ger. Voſſio, viris clariſſimi nominis, fidem habeas, quorum iſti itidem, juxta id tradentem de Romanorum Veſta Ovidium, nullum ſimulacrum Veſtæ apud Gręcos pręter Aram aut Ignem exſti-

[a] *De Veſta.*
[b] *De Idol. l. 9. c. 22.*

tiſſe

tiſſe ſtatuunt. Quod certe ſi eviciſſent viri doctiſſimi, omnis illa noſtra, de obvia in hoc Smyrnęorum nummo Veſtæ effigie, diſputatio uno ictu corruiſſet. At rectius ſi & hoc omiſiſſet Lipſius, qui nihil ferme de Græcorum Veſta aut ſolemni ejus in Prytaneis cultu obſervat; cujuſque hic premit veſtigia Vir diligentiæ alioquin ac eruditionis immenſæ. Neque enim id probat, is quem adferunt, & cui uni innituntur viri magni, Pauſaniæ locus, qui non ibi de ſolemni Gręcorum more, ſed ut peculiare apud Hermionenſes monet, quod nullum apud eos eſſet Veſtæ ſimulacrum præter Aram in Templo: Παρελθοῦσι δὲ εἰς τὸ τῆς Ἑστίας· ἄγαλμα μὲν ἔστιν οὐδὲν, βωμὸς δὲ, καὶ ἐπ' αὐτοῦ θύουσιν Ἑστίᾳ. *Jam qui in Veſtæ Templum tranſierint, ubi ſignum nullum videant, unica Ara eſt, & ſuper ea ſacra faciunt Veſtæ.* At conſule eundem auctorem in Atticis, ubi in Athenarum Prytaneo ſignum hujus Deæ exſtitiſſe, diſerte obſervat: Πλησίον δὲ ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ ἐστὶν, ἐν ᾧ νόμοι τε οἱ Σόλωνος εἰσὶ γεγραμμένοι, καὶ Θεῶν Εἰρήνης ΑΓΑΛΜΑΤΑ κεῖται καὶ ΕΣΤΙΑΣ. PRYTANEUM, *in quo Solonis leges perſcriptæ adſervantur,* SIGNA *vero Dearum ibi poſita, Pacis &* VESTÆ. Accedat eidem Artemidorus: ΕΣΤΙΑ αὐτή τε καὶ ΤΑ ΑΓΑΛΜΑΤΑ αὐτῆς, πόλεως μὲν βουλὴν, καὶ τὴν ἐνθήκην σημαίνει. VESTA *tum ipſa, tum* STATVÆ *ipſius urbis Senatum & reconditiora redituum ſignificant.* Mitto adlatum paullo ante e Suida locum, quemque nihilominus

J. G. Voſſius.

In Corinth. pag. 157.

In Attic. p. 31.

Oneirocr. l. 31. c. 4.

viderat Lipſius, ubi de Veſtæ ſimulacro tributiſque ei ſymbolis loquitur. At inſignis præ aliis Porphyrii apud Euſebium locus, ac in primis ad faciendam rei, de qua hic agimus, fidem opportunus, ubi nempe habitus ejuſdem Veſtæ, ac præterea locus erecti vulgo ſimulacri aperte traditur: Καὶ τὸ μὲν ἡγεμονικὸν τῆς χθονίας δυνάμεως ΕΣΤΙΑ κέκληται· ΗΣ ΑΓΑΛΜΑ παρθενικὸν ΕΦ' ΕΣΤΙΑΣ πυρὸς ἱδρυμένον. καθὸ δὲ γόνιμος ἡ δύναμις, σημαίνουσιν αὐτὴν ΓΥΝΑΙΚΟΣ εἴδει ΠΡΟ ΜΑΣΤΟΥ. *Id quod eſt in terrena vi princeps atque primarium* VESTA *nominatur*, CVIVS SIMVLACRVM *virginea ſpecie* IVXTA FOCVM *accenſum erigi conſuevit; quatenus autem fecunda vis illi ineſt, eandem ex* VBERIS *indicio*, MVLIEBRI *forma expreſſam voluerunt*. Unde, ut obiter addam, liquidum, cur non *Virgo* ſolum, ſed *Mater*, qua de re paullo ante, dicta eadem Veſta, eaque cum prominente etiam ubere, in hoc ipſo, quem hic illuſtrandum ſuſcepimus, Smyrnæorum nummo, appoſite ad Porphyrianum ectypum, depingatur. Ut mirum ſit utique, viros doctiſſimos, qui data opera de Veſta, ejuſque apud veteres cultu ac ſymbolis commentabantur, hæc non vidiſſe, immo aperte pugnantia cum tot clariſſimis auctorum locis, aliiſque priſci ævi monumentis, ex male intellecto uno Pauſaniæ loco, tradidiſſe. Ex quibus illud inſuper docemur, hujus Veſtæ ſimulacra ad Focum ſeu Aram accenſam, juxta Porphyrium, & quod innuit etiam, ut

Præp. Evang. l. 3. p. 109.

ſupra

ſupra vidimus, Gręcus Pindari Interpres, in Curia ſeu Prytaneis Gręcorum, aut a Gręcis conditarum urbium erecta; unde eadem cum Πρυτανῖτις Ἑστία, tum Βουλαία etiam, *Prytanitis* & *Senatoria* dicta. Prius apud Athenęum videas, qui ΕΣΤΙΑΣ ΠΡΥΤΑΝΙΤΙΔΟΣ γενέθλια, VESTÆ PRYTANITIDIS *natalitia* apud Naucratitas Ægyptios, Gręcorum ſcilicet, ut vel ex Herodoto ac Strabone liquet, traduces docet celebrata. Poſterius tradunt Græci Oratores, eorumque interpres Harpocration, qui juramenti per hanc *Senatoriam* Deam, Βουλαίαν τὴν Ἑστίαν, Athenis recepti meminere; additque nominis originem Harpocration, appoſite iterum ad ejus rei, de qua hic agimus, fidem, ΕΣΤΙΑΝ τὴν Βουλαίαν, ὅτι τὴν ἐν τῇ Βουλῇ ἱδρυμένην, VESTAM *Senatoriam*, ceu *Senatus Præſidem, tanquam quæ in Senatu erat* DEDICATA. Βουλαία nempe Veſta haud aliter ac Βουλαία non Minerva ſolum, ſed etiam Themis apud Plutarchum; aut vero Βουλαῖος Jupiter, cum apud eundem, nempe præter Antiphontem, quem citat ad Harpocrationem Cl. Mauſſacus, tum in præclaris aliquot nummis, maxime autem, & quem vidiſſe olim juvit in Gaza Medicea, in inſigni nummo, e *Medaglioni*, quos vulgo vocant, genere, & a Mytilenæis cuſo, in quo hinc caput Jovis laureatum, cum inſcriptione ΖΕΥC ΒΟΥ-

Lib. 4. c. 13. *Lib. 2.* *Lib. 17.* *Æſchin. de falſ. legat.* *Præc. Reip. ger.* *Ibid.*

ΛΑΙΟϹ; in averſa autem nummi area tres figuræ occurrunt cum epigraphe, ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ ΘΕΟΙ ΑΚΡΑΙΟΙ, *Mytilenæorum Dii Arcis Præſides* vel *Cuſtodes*, de quibus nempe paullo ante, & quandoque alibi plenius. Magnum vero illud, de quo Harpocration, *per Veſtam* juramentum apud Athenienſes, nec ſolis Oratoribus, Dinarcho, aliiſque familiare exſtitiſſe, ex Ariſtophane pręterea colligas, ubi ſenex Chremetem conveniens, vera-ne eſſet quæ diceret, *Per Veſtam*,

In Plut. act. 2. ſc. 3. Πρὸς τὴν Ἑστίαν, nempe hanc Βουλαίαν, eundem continuo adjurat. Unde etiam obſervo in pręclaro il-

Marm. Oxon. pag. 11. & 12. lo Magnetum ac Smyrnęorum Fœdere, ac ſolemni juramenti, quo utrique ſe obſtringunt, formula ibidem expreſſa, *Terram* continuo ante alios Deos Deaſque ibidem poſitam, Ὀμνύω διὰ Γῆν, Ἥλιον, &c. *Juro per Terram*, *Solem*, &c. hoc eſt, *per Veſtam*, eandem quippe cum *Terra*, qua de re iterum paullo infra, ac *primam* etiam *Deorum*, ut jam vidimus, dictam & cultam. Immo unde factum quoque, a cultu ſcilicet hujus Veſtæ, ut ἑστιᾶσθαι non pro *epulari* ſolum, ſed & pro *coli* uſur-

Ion. v. 1464. petur quandoque, ut apud Euripidem, δῶμα δ' ἑστιοῦται, *domus vero colitur*; ita enim recte Interpres, quod loci ratio evincit.

VI. De Vestæ Velo & Ca-

At non inde ſolum Veſtæ ſimulacrum in hoc Smyrnæorum Nummo, adſcriptiſque in eodem

Prytanibus eruas, ſed ex toto habitu ejuſdem Deæ, quæque eidem ibi tributa, Velo, Calatho, Victoria & Columna. De Velo, vel ex obviis Romanorum nummis res pridem eruditis, aut harum antiquitatum ſtudioſis nota, in quibus nempe velatum vulgo hujus Deæ caput videas, velataſque Veſtales eidem ſacra facientes. Unde etiam de Græcorum Veſta tradit Phornutus, coronam albam ei vulgo impoſitam, *quod coronetur & contegatur undique a puriſſimo elemento*, ὃ στέφεσθαι καὶ καλύπτεσθαι πανταχόθεν ὑπὸ τοῦ λευκοτάτου στοιχείου. Immo velatum ideo, ut jam ante vidimus, Veſtæ hujus caput, quod *Æternitatis* eſſet apud Veteres ſymbolum; indeque etiam *Æterna* diceretur. Haud vero mirabitur quiſquam, impoſitum capiti ejuſdem Deæ in hoc Smyrnæorum nummo Calathum, qui ſolemne illud Cereris inſigne, quæ eadem cum Veſta juxta Phornutum, noverit, Εκατέρα δ᾽ ἔοικεν οὐκ ἑτέρα τῆς Γῆς εἶναι· *Utraque autem*, Ceres & Veſta, *non videtur alia a Terra eſſe.* De Cerere equidem, ut alia jam trita mittam, unum illud Tireſiæ apud Euripidem adferre liceat:

latho in nummis.

De Cerere & Veſta.

Δημήτηρ Θεά,
Γῆ δ᾽ ἐστὶν, ὄνομα δ᾽ ὁπότερον κάλει· Bacch. v. 275.

Ceres Dea,
Terra autem eſt, nomine vero utrovis voca.

Calathus autem Cereri proprius, ac ſolemni cur-

ru ac pompa in ejus honorem geſtari in Theſmophoriis ſolitus, ut inde etiam laudes hujus Deæ auſpicantem norimus Callimachum, Τῷ Καλάθῳ κατιόντος, *Calatho deſcendente.* Hinc & eadem Ceres cum Calatho in ſequenti nummo Saloninæ Auguſtæ, in quo inſcriptum ipſius Deæ nomen, CERERI AVG. eademque in veteri Sardianorum nummo, cum Velo ſimul & Calatho, ſicuti Veſta hoc loco, ac prȩterea cum Spica & Papavere conſuetis frugiferæ hujus Deæ inſignibus; ni eandem iconem mavis ad filiam Proſerpinam cum Clariſſ. Seguino referre, cujus ſpicis etiam, juxta matrem, præcinctum caput novi in veteribus aliquot nummis. Accedat his alius adhuc eorundem Sardianorum nummus, in quo Ceres iterum cum Calatho, Cornucopiæ, Spicis ac Temone prȩterea inſtar Fortunæ ſignatur; Dea utpote frugum terra marique advectarum potens, vel ponto haud minus ac terra, dum filiam quæreret, jactata; quod poſtremum innuit quoque Euripides, ubi hanc Deam dicit oberraſſe:

Hymn. in Cerer. v. 1.

Pag. 29.

In Helen. v. 1320. &c.

Αν' ὑλάεντα νάπη,
Πόταμόν τε χεῦμ' ὑδάτων,
Βαρύβρομόν τε κῦμ' ἅλιον·
Per ſylveſtres ſaltus,
Et fluviatilem fluxum aquarum,
Graviterque ſtrepentes fluctus marinos.

In priori autem e duobus hiſce Sardianorum nummis, inſcriptum CAPΔIANΩN NEΩKOPΩN; in altero additum Prætoris nomen aliquot literis exeſum, Rufi nempe, ...ΦOY CAPΔIANΩN B. NEΩKOPΩN, Prætore *Rufo Sardianorum Bis Neocororum.*



Mitto jam facem cum Veſtæ, ut paullo ante vidimus, tum Cereri, ut aliunde notum, in veteribus nummis tributam. Adde inſuper, hanc Veſtam, non Rheæ ſolum, juxta Pindarum, commemorato ante loco, ac Mythologos, filiam, ſed eandem, juxta alios, qua de re etiam paullo ante, cum Rhea. Unde Veſta *Deorum Mater* a Philolao Pythagorico dicta in Eclogis Stobæi legitur, Πῦρ, ſcilicet, ὅπερ ΕΣΤΙΑΝ τῶ παντὸς καλεῖ, καὶ Διὸς οἶκον, καὶ ΜΗΤΕΡΑ ΘΕΩΝ· *Ignis, quem univerſi larem ceu* VESTAM *vocat, Joviſque domicilium, ac* DEORVM MATREM. Calathus autem, ut notum, ac modo etiam dicebamus, inſigne itidem Deûm Matris. Communis autem ille habi- *Ecl. Phyſ. l. 1. pag. 51.*

tus utriuſque Deæ, Rheæ nempe ac Cereris, eo minus cuipiam inſolitus videbitur, qui norit Ce-
Helen.v.1318. rerem, ut alia mittam, cum *Deûm Matris*, Μάτηρ
Ibid.v.1371. Θεῶν, tum *Magnæ Matris*, Μεγάλας Ματρὸς, nominibus deſignari alicubi apud Euripidem; quæ conſueta alioquin, ut notum, Rheæ, immo ſola ferme, quibus eadem in antiquis Romanorum nummis deſignatur epitheta, MATER DEVM, aut MATRIS MAGNAE; unde & Μητρῶα, Templa hujus Deæ Græcis olim dicta. Hinc eodem *Matris* nomine culta, ut jam vidimus, apud Romanos Veſta, juxta adlatum ſupra Juliæ Severi nummum cum elogio, VESTA MATER. Sicut proinde Cereri, aut hic Veſtæ, ita Rheæ Calathus haud ſemel in antiquis nummis tribuitur, ut vel ex ſequentibus liquet, in quibus eadem cum Velo ſimul & Calatho ſe conſpiciendam præbet; uterque autem nummus Regiæ hujus Gazæ ac in Phrygia, ubi ſolemnis cultus hujus Deûm Matris, percuſſus, *Laodiceæ* nempe ejus Metropoli ſub *Agrippino Prætore*, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΟϹ ϹΤΡ. alter *Eucarpeæ*, ΕΥΚΑΡΠΕΩΝ; & quibus tertium addere liceat, ubi præter Calathum & Leones, cum Spicis etiam & Papavere, ſolitis alioquin Cereris inſignibus, depingitur eadem Rhea, loci autem inſcriptio ΓΑΒΑΛΕΩΝ, *Gabalenſium* Phœniciæ, aut juxta Strabonem,

Syriæ, cum addita urbis Æra PNB. ſeu CLII. qua de re alibi.



Quamquam, ut obiter id moneam, aliis quoque Deabus, ut Dianæ Epheſiæ, Junoni Samiæ, Fortunæ quandoque & Iſidi, tributum etiam illud capitis inſigne videas in veteribus nummis.

VII. De aliis Symbolis, Victoria & Columna.

Ad Victoriam vero quod adtinet, quam præfert hæc *Prytanitis* Smyrnęorum *Veſta*, frequens illud, ut notum, cum Jovis, tum Dearum id genus, & VENERIS quidem VICTRICIS aut FELICIS in veteribus nummis inſigne. *Veſta* autem pro *Venere* ab antiquis etiam habita, ſicuti ex Auguſtino monuit jam ante Lipſius. MINERVA autem, eademque VICTRIX, cum Victoria crebro etiam in Romanis id genus monumentis depicta cernitur. Quod nemini utique novum ac inſolens videbitur, qui norit hanc Deam, unam ex omni Cœleſtium choro, tradente id Ariſtide, non jam *Victricem*, pro more aliorum quoque Numinum, ut minus accurate eruditi An-

Aliquando Veſtam non erubeſcunt etiã Venerem dicere. De Civit. Dei l. 4. c. 10.

Η μόνη τῶν ἁπάντων Θεῶν, ὁμοίως ᾗ πασῶν, οὐκ ἐπώνυμος τ̃

Νίκης. θεὰν, ἀλλ' ὁμώνυμος. Or. in Minerv. tiquarii, refragante eodem Ariſtide, ſed ipſo *Victoriæ* nomine Athenis olim cultam, indeque,

Lect. Attic. l. 5. c. 20. quod obſervo, & quod a diligentiſſimo Meurſio

Ion. v. 1529. prætermiſſum, ab Euripide vocatam alicubi Νίκᾳ Ἀθάνᾳ, *Victoriam Minervam*, ac de eadem paullo

Ibid. v. 457. ante, ὦ πότνια Νίκα, *ô veneranda Victoria.* In Romanis vero nummis, Veſta vulgo Palladium, ſeu

Lib. 1. v. 598. *Trojanam*, ut Lucanus eam vocat, *Minervam* geſtat. Quod autem hæc inſigniter illuſtrat, ſingularem nummum, cumque e maximorum, ceu *Medaglioni*, quos vulgo vocant, numero, in præclaro Chriſtinæ Auguſtæ Cimeliarchio videre olim Romæ, & juxta reliquos ejuſdem Gazæ, ad ipſam inſpectorum à me tum nummorum fidem adnotare licuit. Percuſſus ille in Fauſtinæ matris honorem, ſicut vulgo obvia in Auguſtarum nummis Veſta, aut Veſtæ, vel Veſtalium habitu Auguſtæ. Viſitur autem in averſa nummi illius parte Mulier ſtans ante Aram, dextra Pateram, ſiniſtra Palladium geſtans, ſupra Aram Columna cum Victoria, ac inſcriptione, VESTA. Quo nihil equidem magis ad meam de hac Smyrnæorum Veſta interpretationem opportunius, in quo præter ſtantem Veſtam, Victoriam non ſolum, ſed Columnam inſuper videas. Neque vero ambiget facile quiſquam, cur adpoſita in hoc Smyrnæorum nummo Columna, ac ei, ſtantis quidem habitu,

habitu, innixa hæc Dea, qui Veſtam eandem cum Terra, ut paullo ante diximus, ac à *ſtando* Græcis Romaniſque, ut illi equidem ſtatuunt, ex æquo dictam noverit, juxta antiquos Grammaticos, aut vel ex noto Ovidiano verſu,

Stat vi Terra ſua, vi STANDO VESTA *vocatur:* *Faſt. 6.*

quamquam id minus quidem vere, quum aliunde & ex Oriente, ut aliunde liquet, vera nominis hujus *Veſtæ* vel Ἑςίας origo petenda omnino fuerit. Unum tamen adferre hic liceat pervulgatæ apud Grecos derivationis, quique huic nummo lucem fœneratur, teſtem Phornutum, Ταύτην *De Veſta.* μὲν γὰρ διὰ τὸ ἑςάναι διὰ πάντων προσαγορεύουσιν οἱ παλαιοί, ἢ διὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς ὡσανεὶ ἐπὶ θεμελίου τὸν ὅλον ἑςάναι κόσμον· *Hanc* Terram nempe, *quod* STET *per omnia,* ΕΣΤΙΑΝ *veteres dixere, aut quod ipſi* INNITATVR *&* INSISTAT, *tanquam in fundamento quodam univerſi mundus.* En optimum hujus rei, ſeu Veſtæ in hoc nummo ſtantis non ſolum, ſed Columnæ pręterea innixæ ſeu inſiſtentis interpretem, & cui adſtipulantem legas eo loco Plutarchum, quo Menſam Terræ ſimulacrum ideo colligit, *quod alat nos, ac* STABILIS *maneat, eoque a quibuſdam bene* VESTA *appellatur:* Πρὸς γὰρ τὸ τρέφειν *Symp. l. 7. c. 4.* ἡμᾶς καὶ ΜΟΝΙΜΟΣ ἐστι, καὶ καλῶς ὑπό τινων ΕΣΤΙΑ καλεῖται. Unde etiam Veſta, non *Mater* ſolum *Deorum,* ut paullo ante vidimus, ſed *ſuſtentaculum*

etiam *naturæ*, συνοχὴ φύσεως, à Philolao Pythago-
Ecl. Phyſ. l. 1. cap. 25. rico in Stobęi Eclogis vocatur. Quibus accedit, quod eodem habitu, nempe non velatæ ſolum, ſed Columnæ pręterea innixæ Mulieris, Æternitas, cujus ſymbolum, ut diximus, Veſta depingatur in veteri nummo Alexandri Severi, cum inſcriptione, PERPETVITATI AVG. Quo referre inſuper liceat alium neque obvium Gallieni nummum, in quo Mulier dextra Globum geſtat, ſiniſtra Columnæ innixa, retro Ara accenſa, haud obſcura Æternæ Veſtæ ſymbola, cum inſcriptione, PERENNITATI AVG. Quamquam vero, quod norunt etiam, qui veteres nummos verſant, aliis etiam Diis aut Deabus, ut Veneri Victrici, Apollini citharœdo, eundem habitum, Dii nempe aut Deæ columnæ inſiſtentis, tribuant nonnumquam pręclara id genus cimelia. Immo quod pręterire hic non licet, alium notavi inſignem Smyrnęorum nummum, ſub Auguſto cuſum, in quo Mulier ſtans, non velata jam aut cum Calatho, ſed turrita, dextra autem manu Haſtam tenens, ſiniſtra vero Columnæ innixa, cui inſiſtit etiam Victoria, & cum inſcriptione, CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΡΜΟΚΛΗC, *Smyrnæorum Hermocles*, Prætor nempe Smyrnæ.



Tributa ſcilicet, ut modo dicebamus, pręter Veſtam aliis quoque Numinibus id genus ſymbola; ita tamen ut aliunde haud obſcure liceat illa ſecernere, peculiareſque occurrant notæ, unde de ſingulis detur ſincerum nec fallax ut plurimum judicium ferre.

VIII. De Alimonia tributa VESTÆ.

Quod vero adlato paullo ante loco notat Plutarchus, Terram non a *ſtabilitate* ſolum, ſed ex eo quod nos alat, pręclare Græcis dictam Eϛίαν ſeu *Veſtam*, inde factum opportune colligas, ut non ſolum *Deorum Nutrix* vocetur apud Martianum Capellam eadem Veſta; aut vero ut in Gręcorum Prytaneis, in quibus Veſtæ cultus, bene de Republica meritis ac hieronicis e publico alimenta decernerentur, ſed etiam ut loca omnia, ubi ſine ſumptu eadem ſuppeterent, *Prytanea* juxta veterem Comicum apud Athenæum vocari meruerint:

Οὐ γὰρ ἔζενται *Lib. 6. c. 8.*

ΠΡΥΤΑΝΕΙΑ ταῦτα προσαγορεύεται.

h. e. interprete Grotio in Excerptis,

Vbicunque vacuo ſumptu alimonia eſt,
Ea omnia vulgo PRYTANEA *appellant loca.*

Neque vero, quod ad hunc Athenæi locum notat magnus Caſaubonus, Πρυτανεῖα vox ſolum forenſis pro pecunia, ut aliunde notum, a litigantibus depoſita; quum & præter hunc Comici locum, paullo ante apud Pindarum quoque & Callimachum, eodem multitudinis numero legatur, Πρυτανεῖα, & τῆς πόλιος Πρυτανήϊα, ac prætereа apud Dionyſium Halicarnaſſenſem non ſemel de iiſdem Prytaneis, in quibus Veſtæ ſacra & e publico victus, ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς Πρυτανείοις, *in Græcorum Prytaneis;* alibi, τὰ γε τοι καλούμενα Πρυτανεῖα, *quæ autem vocantur Prytanea.* Dicta vero eodem ſenſu Polluci, Ἑστία τῆς πόλεως, ubi datus ille e publico in Prytaneis victus, & cujus locus male in editis diſtinctus, pejus autem ab Interprete acceptus: Ἐπὶ δὲ τούτων, Πρυτανεῖον καὶ Ἑστία τῆς πόλεως, παρ' ᾗ ἐσιτοῦντο, οἵ τε κατὰ δημοσίαν πρεσβείαν ἥκοντες, καὶ οἱ διὰ πρᾶξίν τινα σιτήσεως ἀξιωθέντες, καὶ εἴ τις ἐκ τιμῆς ἀσιτος ἦν· *Præter hanc, Prytaneum & Veſta Vrbis, apud quam convivabantur, qui advenerant publicam obeuntes legationem,* (non *qui a publica redibant legatione*) *& qui ob factum aliquod dignus habebatur, qui e publico veſceretur, aut ſi quis alius honoris cauſa perpetuo ibidem alebatur.* Advenientibus nempe aliunde Legatis,

Vide Polluc. Harpocr. &c.

Antiq. l. 2. pag. 93.
Ibid. p. 126.

Lib. 9. cap. 5. pag. 426.

quod etiam ibi innuit Pollux, honos ille vulgo habitus, ut eis lautia in Prytaneo præberentur; ſicut clare etiam legitur in Smyrnęorum & Magneſiorum Fœdere, ubi cautum a Smyrnæis, ut ii, ad quos ea res ſpectaret, invitarent *Legatos, qui e Magneſia advenerant, in Prytaneum ad ſacras epulas:* τοὺς πρεσβευτὰς τοὺς παραγενομένους ἐκ Μαγνησίας ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ Πρυτανεῖον. Idem innuit etiam alicubi Polybius, de Gentii Regis Illyriorum Legatis, qui ad Rhodios miſſi, ἐδέξαντο δὲ καὶ τοὺς πρεσβευτὰς ἐπὶ τὴν κοινὴν Ἑστίαν, τοὺς παρὰ τοῦ Γεντίου μετὰ πολλῆς φιλανθρωπίας· *Suntque* (Caſaubono interprete) *etiam Gentii Legati in Prytaneo magna comitate ab iis*, Rhodiis, *excepti.* Κοινὴ nempe Ἑστία erudite ibi, quod vel ex ſuperioribus liquet, per *Prytaneum* verſa, ubi dicuntur a Rhodiis excepti pro more Legati Regii. Hinc etiam locus ille Prytanei, in quo vulgo datæ e publico epulæ, non θόλος ſolum, juxta ſcriptores Atticos, ſed ἑστιατόριον etiam dictus, ut ex Pauſania liquet, ubi ei de Prytaneo Eleorum ſermo, & convivantibus in eodem Olympionicis; quique locus e regione illius cellæ, in qua Veſtæ focus, æternuſque ignis ei ſacratus; ac unde idem nomen ἑστιατόριον a Dionyſio, non Curiis ſolum Romanis tribuitur, quas cum Prytaneis Gręcorum confert, ſed cœnaculo etiam, in quibus feſtis diebus convivari ſolitæ eædem Curiæ. In

Marm. Oxon. pag. 7. & 8.

Exc. Leg. 87.

Andocid. de Myſt. p. 7. Harpocr. &c.

Lib. 5.

Antiq. l. 2. p. 93.

Aaa iij

Prytaneis itaque peculiaris & ſacrata Veſtæ, æternoque igni alendo cella vel ædicula, quæ inde
Lib. 5 p. 316. οἴκημα, ἔνθα σφίσιν ἡ Ἑστία, *domuncula, in qua iis Veſta,*
Lib. 5. p. 317. mox rurſus οἴκημα τῆς Ἑστίας, *ædicula Veſtæ*, à Pauſania vocatur. Immo inde factum, ut non ſolum ſacer eſſet ille locus, & frequens ſupplicum, ut ſupra jam diximus, Aſylum, quod liquet etiam ex Andocidis Oratione de Myſteriis, ſed ut ipſa Prytanea vulgo ſacra a Græcis haberentur, quod diſerte notat Dionyſius, τά γέ τοι καλούμενα Πρυτανεῖα παρ' αὐτοῖς ἐστὶν ἱερά, *quæ vero vocantur Prytanea apud eos*, Græcos nempe, *ſunt ſacra;* additque, καὶ θεραπεύεται πρὸς τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον ἐν ταῖς πόλεσι κράτος, *& eorum cura ad eos pertinet, qui ſummum in urbibus magiſtratum gerunt.*

Margin: Ἐπὶ τὴν ΕΣΤΙΑΝ καθίζοιτο ἱκετεύοντες μὴ στρεβλωθῆναι. Or. de Myſt. p. 7.

Margin: Antiq. l. 2. p. 126.

IX. De PRYTANIBUS Smyrnæorum.

Opportune proinde eidem Veſtæ adſcripti in hoc Smyrnæorum nummo, quique mihi ad ejus interpretationem continuo præluxere, ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, *Prytanes*. Cuſtodes enim eos exſtitiſſe hujus Deæ, *Prytanitidis* inde, ut vidimus, dictæ, ceu qui ſacris ejus in Gręcorum Prytaneis præerant, non ſolum hujus Dionyſii, vel Pindari etiam, qui clariſſime id monet, ut ſupra vidimus, fide, ſed Æſchyli præterea haud obſcuro teſtimonio, abunde, ut opinor, paullo ante declaravimus. Neque enim Prytanes Athenis ſolum, ſicut quibuſdam eruditis ſecus viſum, ſed

paſſim in aliis Græcorum aut Græcis Aſiæ urbibus, ut jam olim ad Athenęum erudite monuit ac demonſtravit doctiſſimus Caſaubonus. Apud Rhodios certe, quod ille vel ex uno Ariſtotele, in quo Πρυτανείας mentio, obiter colligit, ſummum eo nomine Magiſtratum & pleno cum imperio exſtitiſſe, videre inſuper licet ex inſigni eam in rem, & quem alibi jam indicavi, Appiani loco: Οἱ μὲν δὴ Ἀλέξανδρον ἐκ τούτων εἵλοντο σφίσι πρυτανεύειν, ἅπερ ἐστὶν ἀρχὴ παρ' αὐτοῖς μάλιστα αὐτοκράτωρ· *Illi vero ea de cauſa Alexandrum elegerunt ſibi Prytanem; quæ apud eos dignitas omnium maximam habet auctoritatem.* Neque aliter de Rhodiis Livius, *quum in ſummo magiſtratu eſſet, Prytanim ipſi vocant*; aut alicubi etiam Plutarchus, qui Πρυτανείας ἐν Ῥόδῳ, ſeu *ſummæ apud Rhodios præfecturæ*, meminit. Immo idem jam ante monuerat Polybius, a quo Livius more ſuo id hauſit, ubi nempe ille eorum meminit, qui publicas Rhodiorum res procurabant, puta Hegeſilochi, vel Stratoclis, Rhodiorum, ut eos vocat, *Prytanum*; additque alicubi, unde prętęrea ſemeſtrem eorundem apud Rhodios dignignitatem colligas, Στρατοκλέους πρυτανεύοντος τὴν δευτέραν ἑξάμηνον, καὶ τοῦ διαβουλίου προεστῶτος, *poſterioris ſemeſtris Stratocles Prytanis erat, qui ſummus eſt apud Rhodios magiſtratus.* Hinc alibi Prytanes Rhodiorum, legationes tradit decreviſſe, ad dirimendum or-

Animadv. ad lib. 15 c. 19.

Bell. civ. l. 4.

Lib. 42. c. 45.

Reipubl ger. Prac.

Exc. Leg 64. & 67.

Ibid.

Οἱ δὲ Πρυτάνεις, &c. *Exc. Leg. 86.*

tum inter Romanos & Macedonas bellum. Adeo etiam ut ex his graviſſimorum auctorum locis, eximium quid ac ſingulare de Rhodiorum Prytanibus facile eruas, quorum ſcilicet ſupremo, non *Strategorum* vero ſeu *Prætorum*, ut ferme alibi in Græcis aut a Græcis conditis urbibus, aut alterius Magiſtratus imperio regerentur iidem Rhodii. Mitto inſignes illos nummos in præclaris Cimeliarchiis obvios, cujuſmodi tres diverſos & maximi, ut aiunt, moduli videas hic in Gaza Regia, in quibus *Frontonis* cujuſdam *Rhodiorum Prytanis* mentionem fieri arbitrantur eruditi quidam Antiquarii. Obſtat enim, ut alia jam mittam, quod non Rhodi, ſed a *Communi XIII. Urbium*, ut præfert Græca nummi inſcriptio, Ionici nempe Conventus, ΚΟΙΝΟΝ ΓΙ ΠΟΛΕΩΝ, ubi nullus, quod aliunde conſtat, Rhodiis locus iidem ſint cuſi, nec proinde *Rhodii Prytanis*, qui *Aſiarchæ* & *Flaminis* munere in eo *Communi* fungerentur, ulla quæri debeat in iiſdem nummis mentio. Præter Rhodios vero Prytanes, de quibus paullo ante, apud Sicyonios, Prytanes etiam annuos, eoſque e Bacchiadarum genere notat alicubi Pauſanias. Quibus accedat hic etiam Cuma, Æolicarum olim urbium, juxta Strabonem, princeps. Præclarum enim hujus urbis nummum, Gallieni temporibus cuſum, inter ectypa a Morello

Strabon. l.14.

Πρυτάνεις δ' ἐκ Βακχιαδῶν ἐνιαυτοὶ ἄρχοντες. *Lib 2.*

rellio noſtro, ſummo ſtudio & præſtanti fide ac induſtria confecta, obſervare mihi opportune licuit, in quo adſcribitur *Prytanis* cujuſdam illius urbis, dignitas ac nomen, cum Dianæ Epheſiæ effigie, duobus præterea Cervis, ſolitis Ἐλαφιαίαις hujus Deæ, ac inde etiam juxta Pauſaniam dictæ, aſſeclis, cum inſcriptione autem ΑΙΑ. ΕΡΜΕΙΑΣ ΠΡΥΤ. ΚΥΜΑΙΟΙΣ. *Ælius Hermias Prytanis, Cumæis.* *Lib.6.p.388.*



Nec mirabitur quiſquam, quod monere obiter liceat, Dianam Epheſiam ſculpi in publicis hujus urbis monumentis, qui novit *Magnam* illam, prout in Actis vocatur, *Deam*, ſumma religione in Græcis Aſiaticiſque urbibus cultam, idque liquere nobis hodie indubia rurſus nummorum veterum fide, nec vicinarum ſolum aut Proconſularis Aſiæ juxta hanc Æolicam Cumam, Urbium, *Apameæ* puta *ad Mæandrum*, *Magneſiæ*, *Hierapoleos*, *Trallium*, *Sami*, *Nacraſi*, *Antandri*, *Aſteriæ*, *Colophonis*, pluriumque id genus, ſed remo-

tiorum etiam quandoque, ut *Ancyræ, Amaſtridos, Pruſæ, Gortynæ*, aliarumque, de quibus quandoque alibi, & quædam jam erudite ex hac nummorum penu obſervat in ſua de Nummo Apamenſi Diatriba, intima mihi quadam, dum viveret amicitia conjunctus, illuſtris Oct. Falconerius. Quod utique eo magis mirum, in urbe vicina Æolidos principe, & quæ juxta eandem Epheſum ac Smyrnam, communem ab Amazonibus originem ac nomen ipſum accepiſſe traditur. Mitto hic eoſdem Cumæos, *Cæſareorum Cumæorum*, ſeu ΚΑΙϹΑΡΕΩΝ ΚΥΜΑΙΩΝ, haud inſolito in antiquis id genus locorum monumentis elogio, ſignari in ſingulari Neronis nummo Gazæ Mediceæ. *Prytanes* autem, de quibus hic ſermo, ſummi apud hoſce Cumæos Magiſtratus nomen, abunde arguit præclarus hic nummus. Immo addendi jam iiſdem Smyrnæi, quod præter eum, in cujus explicatione verſamur, inſignem nummum, evincit inſuper adlatum paullo ante Smyrnæorum decretum de renovando fœdere cum Magneſiis, ubi horum Legati, dicuntur a Senatu invitandi εἰς τὸ ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ, ſeu *ad hoſpitales epulas in* PRYTANEO. Ubi enim *Prytanea*, ibi omnino *Prytanes*, quorum utrumque in antiquis his monumentis videas. Accedat his adhuc teſtis alius luculentus, Smyr-

Strabo lib. 11. & 13.

Marm. Oxon. pag. 8.

næus nempe dictus Ariſtides, qui alicubi, quod ad Smyrnæorum marmor prætermiſit Cl. Seldenus, ſe inter eoſdem urbis illius Prytanes, (Sophiſtis nempe Smyrnæis haud inſolitum, ut jam ex ſuperioribus conſtat) adlectum tradit, εἴσαν δὲ ἀρχαιρεσίαι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΙ, προυβάλλετό με ἡ Βουλὴ, δυοῖν καὶ τριῶν ὑπειπόντων· *cum haberentur hoc tempore Comitia* PRYTANEA, *nominavit me Senatus duobus vel tribus ſubſcribentibus.* Unde liquet preterea ἀρχαιρεσίας Πρυτανείας dicta illa Smyrnæorum Comitia, in quibus id genus Prytanes eligebantur. Immo hinc *primi* etiam Smyrnæi *Prytanis*, quod iterum obſervo, mentio in antiquo lapide, edito inter Marmora Oxonienſia, ubi legas inter alia cujuſdam Oneſimi Paterniani adſcripta ibidem munia, Νεωκόρων Τῶν Μεγάλων Θεῶν Νεμεσέων, Ἱππαρχον, Γραμματοφύλακα, ΠΡΥΤΑΝΙΝ Πρῶτον, *Æditũum Magnarum Dearum Nemeſium, Magiſtrum Equitum, Cuſtodem Actorum,* PRYTANEM *Primum.* Plures enim cum alibi, tum Smyrnæ etiam, quod vel hic nummus docet, Prytanes, inter quos dignatione præcipuus, qui primum inter eos locum nactus, unde reliqui, tanquam primi illius Prytanis adſeſſores, ceu οἱ περὶ Πρύτανιν, alicubi apud Athenęum, doctiſſimo Caſaubono interprete, vocantur. Quod etiam firmat ac illuſtrat adlatus paullo ante Æſchyli lo-

Serm. Sacr. pag. 608.

Marm. p. 148

Ath. l 5. c. 2. & Anim. Caſ.

cus, ubi Argivorum Rex, ut verus Πρύτανις, ceu ſupremus ex illo ordine Populi Rector nuncupatur. Ut non mirum proinde videri debeat, adſcriptam in hoc lapide *Prytanis primi* dignitatem. De Smyrnæo autem Prytani eadem hæc intelligenda, probat adlatum, quod monuit jam eruditus illius editor, inde Marmor; & præterea adſcripta Dearum Nemeſium, tutelarium, ut aliunde & ex veteribus etiam nummis, de quibus paullo ante, liquet, hujus urbis Numinum memoria. Sic rurſus in duobus aliis Marmoribus itidem Smyrnęis, ac Smyrna etiam adlatis, duo *Prytanes*, *Smaragdus* nempe & *Claudianus* dicti, commemorantur, Σμάραγδος ΠΡΥΤΑΝΙΣ, mox Κλαυδιανὸς ΠΡΥΤΑΝΙΣ; & alterius adhuc Βουλευτοῦ ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ, ceu *Senatoris Prytanis* relata dignitas. Unde etiam ipſa Veſta, ut ſupra vidimus, cum Βουλαία, tum Πρυτανῖτις, *Senatoria*, ceu *Prytanitis* dicta. Diſtincta alioquin *Prytanum* & *Senatus* munia, ex Achille Tatio liceret colligere, ubi τῆς Βουλῆς καὶ τῶν Πρυτάνεων, *Senatus & Prytanum* apud Epheſios meminit, niſi poſtremum de Senatus principibus intelligi & explicari debeat. Prytanes equidem Senatorum primi ac præcipui apud Athenienſes; eorum etiam munus, Senatum juxta & Populum convocare; & ex Prytanum inſuper ordine Præfectus ſeu Επιστάτης ſorte

Marm. Oxon. p. 94.

Ibid. p. 105.

Lib. 8.

electus, qui unum ex reliquis Tribubus in primis ſedibus adſeſſorem adſciſceret. Docet id Pollux, ſed cujus locus in mendo cubat, male præterea ab interprete acceptus, ita legendus omnino & explicandus: Καὶ ὅταν οἱ Πρυτάνεις τὸν Δῆμον ἢ τὴν Βουλὴν συνάγωσι, οὗτος ἐξ ἑκάστης φυλῆς (non βουλῆς) πρόεδρον ἕνα κληροῖ, μόνην τὴν πρυτανεύουσαν ἀφείς· *Cumque Prytanes Populum ac Senatum convocant, ille*, Epiſtates nempe Prytanis, *ex ſingulis Tribubus, ea excepta, e qua tum Prytanes, unum in primis ſedibus adſeſſorem ſortitur.* Singulæ nempe Tribus Athenienſium, quod vel Harpocration docet, ſorte & per vices πρυτανεύουσι, ſeu, quod idem ait, καὶ ἑκάστη φυλὴ πρυτανεύει; quomodo & apud Demoſthenem, φυλῆς πρυτανευούσης non ſemel mentio; immo & alibi apud eundem Pollucem, ubi hanc *Tribum immunem a tributis* docet, ἡ πρυτανεύουσα φυλὴ ἀτελής, ut proinde de ſuperioris apud hunc ipſum auctorem loci emendatione ac ſenſu nefas ſit dubitare, aut vero ulterius anquirere ſupervacaneum. Hinc ad eandem Tribum πρυτανεύουσαν referendi illi, de quibus ait alicubi Andocides, Πρυτάνεις τοὺς τότε πρυτανεύοντας.

L. 8. c. 9. § . 8.

Orat. de Cor.

Lib. 18. c. 5.

Orat de Myſt. p. 7.

Neque vero ex hoc Smyrnęorum nummo, in quo non unus jam, ſed in genere *Smyrnæorum Prytanes* adſcripti, continuo juxta virum omni laude præſtantem ſtatuas, totidem exſtitiſſe

Select. Num. Seg. p. 33.

Prytanes, quorum nuda nomina occurrunt in Smyrnæorum nummis, ut in eo quem ibidem adfert, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΡΤΕΜΙΔΟΡΟΥ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, *Smyrnæorum Artemidoro Demetrio*; aut altero, ΠΡΑΞΑΓΟΡΟΥ ΤΙΡΕΣΙΟΥ, *Praxagoræ Tireſii*. Nec enim vulgo omiſſa, ut priora arguunt, illa *Prytanis* dignitas in monumentis id genus antiquis; ac præterea aliorum quoque, ut de Romanis Præſidibus nihil dicam, loci Magiſtratuum, *Prætorum* puta, *Pontificum*, *Aſiarcharum*, *Scribarum*, ac *Sophiſtarum* etiam, ut paullo ante vidimus, haud ſemel adſcripta in Smyrnęorum nummis nomina; ac præterito frequenter, quod & in aliis ejuſmodi Græcorum urbium nummis, obvium, Magiſtratus, quem gerebant, nomine. Ita legas, ΣΜΥΡΝ. Γ. ΝΕ. ΕΠ. ΜΕΝΕΚΛΕΟΥΣ, *Smyrnæorum Ter Neocororum Sub Menecle*; aut ΕΠ. ΠΟΛΛΙΑΝΟΥ, *Sub Polliano*; aut ΕΠΙ ΒΩΛΑΝΟΥ, *Sub Bolano*; aut ut ſupra ΕΠΙ ΕΡΜΟΚΛΕΟΥΣ, *Sub Hermocle*, quos de Prætoribus Smyrnęis verius explicandos putem. Eodem autem ſenſu *Prytanem*, ceu unum e ſupremis Magiſtratibus dixit alicubi Seneca, *Non vis enim niſi Conſul, aut* PRYTANIS, *aut Ceryx, aut Sufex adminiſtrare Rempublicam.* Unde haud obſcurum certe, cur Jupiter Μακάρων Πρύτανις, ſeu *ſupremus Deorum Rector*, a Prometheo

De Tranquill. Anim. c. 2.

Prom. v. 189.

dicatur apud Æſchylum; apud Euripidem, Κρό- *Troad. v.*
νιος Πρύτανις, *Saturnius Prytanis;* aut apud Pinda- *1288.*
rum, Κεραυνῶν Πρύτανις, idem nempe qui ZEYC *Nem. Od. 6.*
KEPAYNIOC in veteri Antonini Pii nummo, aut vero IOVIS FVLGERATORIS, vel etiam IOVIS TONANTIS nominibus, ut liquet rurſus ex antiquis nummis, a Romanis colebatur. Mitto jam quod alibi Æſchylus, quo nomine κωμῳδεῖται ab Euripide apud Ariſtophanem, Sphin- *In Ran. act. 5.*
gem vocarit Πρύτανιν Κύνα, *Prytanem,* ſeu *dominum* *ſc. 2.*
Canem; aut vero quod adſcriptum Periandri tumulo epigramma apud Laertium, eum indigitet, *Lib. 1.*
πλούτου καὶ σοφίης Πρύτανιν, *divitiarum & ſapientiæ Dominum* ſeu *Prytanem.* Quod & apud Eccleſiaſticos ſcriptores haud infrequens; unde & Deus τῶν ὅλων Πρύτανις, *omnium Dominus,* apud Theodo- *Hiſt. Eccl. lib.*
retum haud ſemel; & ἀληθείας Πρύτανις, *veritatis Do-* *1. c. 24. l. 2. c. 26. l. 4. c. 5.*
minus, apud Nazianzenum; ac apud utrumque *Orat. 11.*
vox πρυτανεύειν, juxta & apud ſcriptores Atticos, pro *conſtituere* ac *decernere* haud ſemel uſurpetur. Qua de re hactenus.

NON deerant alia, neque forte protrita, quæ ad hanc Seguinianam Συλλογὴν ornandam, licuiſſet ulterius adnotare. Verum non hic animus mihi, nec præterea illud jam otium, ut in alieno opere retexendo, velim videri valde induſtrius; aut vero,

ut viri, cujus, dum viveret, amicitiam colui, magnaque nuper horum ſtudiorum gloria hic in urbe florentis, laudem ac famam mea qualicumque opera imminutam velim. Adeo ut nec ultro de ſuperiori Smyrnęorum Nummo, quidpiam hic adtexere cogitaſſem, de quo jam alibi quædam obiter monueram, ni me ad hanc qualemcunque ſymbolam conferendam invitaſſent illi ipſi, qui novam Seguiniani hujus Operis editionem procurant. Unum addere ſolummodo in eorum, & Seguini etiam id deprecantis, ibidem gratiam liceat, exſtare nempe in eodem Opere præclarum nummum a Mytilenæis cuſum, in honorem cujuſdam *Juliæ Proclæ Heroidis*, inſcriptum quippe ΙΟΥΛΙΑΝ ΠΡΟΚΛΑΝ ΗΡΩΙΔΑ, & de qua nihil ſibi conſtare, poſt conſultos veteres e Gręcia & Latio auctores, aut peritiſſimos utriuſque Hiſtoriæ viros ingenue, pro more ſuo, agnoſcit vir pręclaræ fidei ac induſtriæ, immo maximam ſe ei habiturum gratiam, a quo aliquid certi de eadem edocebitur. Neque vero, ut eam promerear, continuo adferam, quod jam alibi indicavi, Probi nempe Auguſti conjugem, eodem nomine *Juliæ Proclæ*, a duobus, quos vocant, Antiquariis, Octavio Strada primum, & ex eodem à Triſtano Sanctamantio obtruſam; verum ſine ulla, ut iſte agnoſcit, veteris auctoris vel monumenti, unde

Selečt. Num. pag. 73.

Diſſ. de Num. pag. 637.

To. 3. p. 637.

unde id iis vel nobis hodie conſtet, fide. Ut nihil jam dicam de ipſa nummi, quem olim apud Seguinum, ac denuo hic in Gaza Regia videre mihi licuit, elegantia, quæ longe ante Probi ætatem, ut ſagacibus etiam Antiquariis viſum, percuſſum eundem omnino arguit. Nec commemorabo hic rurſus, quæ nuper ad Juliani Cęſares, oblata forte de Seguiniano hujus Heroidis nummo obiter agendi occaſione, paucis monui; nempe *Creperlii* cujuſdam *Procli*, viri Conſularis, aliiſque geſtis honoribus inclyti, mentionem fieri in Inſcriptione veteri olim à Capaccio, noviſſime autem in Reineſiano Syntagmate denuo edita. Ma- *pag. 411.*
jorem huic Heroidi lucem, & çertiores adhuc natales, ex alia Inſcriptione antiqua liceat hic indicare, quam in Appendice Marmorum Oxo- *pag. 299.*
nienſium, ac prętérea in Opere quodam Anglicano de Septem Aſiæ Eccleſiis, obſervare mihi poſtea licuit. In ea nempe *Clodii Aurelii Procli* *Vide etiam*
Herois proditum & laudatum nomen ac genus, *Spon Itin. to. 3. p. 113.*
quemque Thyatireni, ob præclara natalium aliaque viri decora, ſingulari præconio ſibi ornandum putaverunt,

Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙ	*Præſtantiſſimus Thyati*
ΡΗΝΩΝ ΒΟΥΛΗ ΚΛΩ	*renorum Senatus Clo*
ΔΙΟΝ ΑΥΡ. ΠΡΟΚΛΟΝ	*dio Aurelio Proclo*
ΗΡΩΑ ΑΝΔΡΑ ΕΥΓΕΝΗ	*Heroi, viro Nobili,*

ΚΑΙ ΣΕΜΝΟΤΗΤΙ ΒΙΟΥ	*ob ſanctitatem vitæ*
ΚΑΙ ΑΡΧΑΙΣ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡ	*& Magiſtratus & munera*
ΓΙΑΙΣ ΑΠΑΣΑΙΣ ΔΙΑΤΕ ΑΥ	*publica omnia geſta & ab eo*
ΤΟΥ ΤΕ ΚΑΙ ΤΟΥ ΓΕΝΟΥΣ.	*& à Familia illius.*

Hujus proinde *Herois Procli* filia, aut ex eadem certe ſtirpe haud immerito ſtatuenda hæc *Julia Procla Heroïs*; quæ nempe propriis juxta & parentis, ac familiæ reliquæ, quæ hic etiam ad laudem commemoratur, meritis inclyta, ornari haud abſimili cum patre elogio meruerit, & ad poſterorum memoriam, perenni æri a Mytilenęis conſignari. De illa *Heroïs* cæteroquin aut *Heroïdos* appellatione, tributa privatæ etiam ſortis hominibus, in monumentis id genus antiquis, non ea hic repetam, quæ aliunde nota, aut a me etiam jam alibi animadverſa.

ADDENDA.

Dum vero hæc dudum erant edita, & quædam huic Operi adnectenda aliunde expectat Typographus, vacaret autem ſequens pagina, prioribus inter alias curas effuſis, addere hic pauca in Lectoris gratiam haud inconſultum duxi.

Pag. 338. Unde lux etiam haud vulgaris Horatio dicenti *Amazonia ſecuri*, &c. ADDE, & Senecæ Tragico dicenti itidem, *Securigera manu peltata Amazon*, alibi, *lunata latus protecta pelta.* In his enim, quas præferunt iidem nummi, Smyrnæ Amazonis iconibus, non ſecurigeram ſolum ac peltatam ejus manum, ſed lunatam inſuper ejus peltam, ſeu *in modum mediæ Lunæ*, ut Iſidorus loquitur, depictam manifeſto videas; unde & dicta Virgilio *Amazonidum lunatis agmina peltis*, & Statio *lunatum agmen*, h. e. Amazonum; quæ omnia ſequentes nummi opportune ante oculos ponunt.

Agam. Act. 2. *Hyppol. A. 2.* *Æn. 1. & 11.* *Theb. l. 5.*

PAG. 347. ΤΑΙΣ ΘΕΑΙΣ, ut in poſtrema factum, mentio, ADDE, Typis jam hæc erant impreſſa, quum adlatus ad me liber viri dignitate & doctrina inſignis, Giſberti Cuperi, quo Apotheoſin Homeri, aliaque priſcæ elegantiæ monumenta luculenter illuſtravit. Inter ea autem, utramque hanc Inſcriptionem à Cl. Sponio editam, *mihique*, ut ingenue de ſe loquitur, *perobſcuram*, tangit, & quem *Pag. 297.* conſulere poterit ibidem Lector, ubi erudite quædam ex Ariſtide obſervat, quibus recepta illa, *ἀφ' Ἑστίας ἀρξάμενος*, formula continetur; & quibus locis addendus alius ex eodem Ariſtide, *εἰκότως* *Orat. Genethl.* *ἀφ' Ἑστίας ἀρξαμένῳ*. Immo quo reſpexiſſe jam pridem Æſchylum *t. 1. p. 121.* video, *τὰ μὲν κατ' οἴκους ἀφ' Ἑστίας ἄχη*, *ab ipſis quidem laribus moleſtiæ domeſticæ*. *Agam. v. 437.* Neque enim id Laconibus ſolum proprium, quod obſervat alicubi Græcus Apollonii Rhodii interpres, ut *domum* voce *Ἑστίας* vocarent; nihil enim magis obvium apud auctores Atticos, ac Tragicos imprimis, ut pro *domo* ac *penatibus domeſticis* vox eadem ſumatur; quo ſenſu *δωματῖτιν ἑστίαν* dixit alibi idem Æſchylus; ac *ἐφέστιοι* paſſim pro *domeſticis*, ut ab eodem rurſus, *δωμάτων ἐφέστιοι ἐμῶν*, & qua de re paullo infra rurſus, dicuntur.

Λακεδαιμόνιοι τὴν οἰκίαν ἑστίαν φασιν. *Schol. ad l. 1. v. 908.*
Agam. v. 977.
Suppl. v. 370.

PAG. 360. Appoſitè ad Porphyrianum ectypum depingatur, ADDE, Citat hunc ipſum Porphyrii locum in laudato paullo ante opere vir excellenti eruditione ampliſſimus Cuperus, ubi poſtremas in Porphyrio voces, *γυναικὸς εἶδος περὶ μαστοῦ*, legendas credit con- *Apoth. p. 254.* junctis vocibus, *γυν. εἰδ. περιμαστοῦ*, *mammoſæ*. Videat eundem Lector.

PAG. 364. Ad filiam Proſerpinam cum Cl. Seguino referre, &c. ADDE, Aut ad Junonem pronubam, juxta alios veterum nummorum Interpretes, & qua de re quandoque alibi.

PAG. 369. *Vi* STANDO VESTA *vocatur*. ADDE, Hinc & *Stata Mater* dicta eadem Veſta, de qua Feſtus; ſicut alioquin STATAE FORTVNAE mentio in veteri lapide apud Gruterum, & juxta doctiſſ. Reineſium in alio marmore, ubi non GRATAE, ſed STATAE FORTVNAE, liberiori tamen conjectura, legendum credit. *Th. LXXIX. 5.* *Synt. p. 160.*

PAG. 370. Dii nempe aut Deæ Columnæ inſiſtentis, ADDE, Quibus addere liceat, quod obſervat alicubi penus veteris eruditionis Clemens, Columnas antiquitus apud Gentiles ſtatuarum & imaginum vice cultas. *Stromat. l. 1. p. 348.* Neque olim alia Junonis Argivæ, aut Apollinis Delphici ſimulacra, præter columnas, exſtitiſſe, adlatis e Poetis aliquot locis, ibidem firmat. Ut non mirum proinde videri debeat,

cur vulgo Apollo, ut dixi, Citharœdus, columnæ innixus, haud ſemel in veteribus nummis depingatur. Hinc eidem Clementi Bacchus *Thebanorum Columna*, Στῦλος Θηβαίοισι Διόνυσος, dictus in veteri Oraculo; immo unde igneam illam Columnam, quæ Hebræis per avia dux fuit, *denotare* docet *Dei ſtabilitatem ac firmitatem, & immutabilem ejus lucem.* δηλοῖ τὸ ἑστὼς καὶ μόνιμον τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ ἄτρεπτον αὐτοῦ φῶς; quorum prius in Phœbo ſeu Apolline aliiſque Diis cœleſtibus, adumbraſſe Gentiles, e commemoratis modo nummis, liquet.

Pag. 376. Apud Sicyonios Prytanes, &c. addе, Iiſdem addendi Lebediorum Ionum Prytanes, quorum mentio in antiqua Inſcri-
A Voyage &c. ptione nuper à Cl. Wehlero Anglo, juxta alias in Itinerario ſuo
p. 268. edita, ΕΠΙ ΧΙΟΥ ΠΡΥΤΑΝΕΥΟΝΤΟΣ ΑΕΒΕΔΙΟΙΣ, & ab initio ΕΠΙ ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ ΑΜΥΝΤΟΡΟΣ, ac ubi ſimul præclara publici Ionum Concilii & Panionii occurrit memoria.

Pag. 377. *Nacraſi*, addе, Non *Nacraſa*, ut vulgo à recentioribus Geographis e Ptolomæo traditur hujus urbis in Lydia aut Caria nomen. Prius autem adſtruunt cum nummi antiqui, ac inter alios ille Regiæ hujus Gazæ ſub M. Aurelio cuſus, & cum Dianæ Epheſiæ effigie, ΝΑΚΡΑΣΕΩΝ, gentili nempe formato a voce Νάκρασος, non Νάκρασα, unde fieret Νακρασαῖος, aut Νακρασηνὸς; tum præterea Stephanus, Νάρκασος δῆμος καὶ πόλις Καρίας &c. ὁ πολίτης Ναρκασεὺς; ubi nempe Νάκρασος & Νακρασεὺς, fide hujus nummi, pluriumve, & levi duarum litterarum trajectione, omnino legendum liquet.

Pag. 382. Quos de Prætoribus Smyrnæis &c. addе, ac Proconſulibus Aſiæ verius explicandos liquet. Pollionis certe, ut Aſiæ Pro-
Serm. ſacr. conſulis, meminit Ariſtides, ἐπὶ Πολλίωνος ἄρχοντος τῆς Ἀσίας, *ſub Pol-*
Orat. 4. *lione Proconſule Aſiæ*, quod male ibi Canterus per *Prætorem* vertit, ſicut alibi non ſemel vocem ἡγεμόνος, quæ tamen non de *Prætore*,
Faſt. l. 6. ſed de Aſiæ *Proconſule* ibidem dicta. Sed familiaris ille error pleriſque Græcorum auctorum interpretibus, diverſa Magiſtratuum Romanorum, qui Provinciis præerant, munia confundere; de quo alibi egimus, & agetur quandoque accuratius.

V. in Exc. H. Pag 383. *Saturnius Prytanis*, addе, ſic in Tragico antiquo, ἀν-
Grot. p. 449. θρώπων Πρύτανιν, *hominum Prytanim* ſeu Rectorem, & apud Clemen-
Pædag. l. 3. tem Alex. in Hymno in Servat. Σοφίας Πρύτανι, *Sapientiæ Rector.*
p. 267.

Errata Typographica. Pag. 359 caligincis, *lege* culiginieis. *Pag.* 378. *lin.* 7. eo magis mirum in urbe vicina Æolidos, *lege* eo minus mirum in urbe vicinæ Æolidos.

AD SELECTA

P. SEGUINI NUMISMATA

NOTÆ

ET OBSERVATIONES.

AD SELECTA

P. SEGUINI NUMISMATA

NOTÆ ET OBSERVATIONES

J. Foy-Vaillant *D. Medici, & Regis Antiquarii.*

Cum P. Seguinus, vir ætate ſua in re nummaria, omnium conſenſu princeps, nummos ex Muſeo ſuo, quod eſt in urbe omnium facilè elegantiſſimum, deſcribendos cogitaret, ex iis quos voluit, ſeu raritate inſignes, ſeu explicatu faciles, ſelegit, in quibus tamen vulgandis dubia & à vero aliena propoſuit, unde veterum nummorum ſtudioſi eorum diſquiſitionem aggreſſi, multas difficultates moverunt. Ille Romam progreſſus, eos ſolertiſſimis nummorum exploratoribus Romanis expoſuit, qui, quid ſentirent, libenter aperuerunt; nec meam tunc temporis ſententiam omnino aſpernari viſus eſt. Hoc forſan illum ad alteram, & nummis auctiorem editionem impulit, in ea agitatis aliquot dubiis ſeu notis quæ monitus fuerat, prælo illam ſubjicere parabat, cùm è vivis clariſſimus ſenex exceſſit; neſcio quo fato liber diu latuerit, cùm tanti viri memoriam colerem, & opera digniſſima exiſtimarem quæ luce donarentur, illum ab hæredibus quærendum curavi; tandem repertum Joannes Jombertus Bibliopola Pariſienſis, rei nummariæ librorum indagator & fautor,

typis mandandum accepit; ſed ea ſpe, ut notas & obſervationes ad illius nummos, de quibus cum amicis ſæpius diſſerentem audierat, ad calcem libri adderem; & ut id facerem, vix adduci potui, ne viri amiciſſimi nomini aliquid detrahere viderer: ſed inſtiterunt plurimi, illas ad librum ejus illuſtrandum, nummoſque explicandos, eſſe quodammodo utiles, ſeu potiùs neceſſarias.

Pag. 41. lin. 1. *Seu potiùs Auguſti & Liviæ.* Non Auguſti nec Liviæ ſunt capita illa jugata in hujus anteriori nummi parte, in cujus poſtica ipſius jam Auguſti caput ſignatum ſine laurea fatetur ipſe Seguinus; ſed capita ſunt Rhœmetalcis & ipſius uxoris, quæ Regis titulus & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ, arguit; laurea, quâ falsò Rhœmetalcis caput ornare curavit, illum forſan illuſit: in plurimis enim quos obſervavi iſtius Regis nummos, in quibus, vel illius tantùm caput, vel cum uxore ſociatum, nunquam laureâ, ſed diademate ſemper inſignitur; teſtes ſint illi omnes quos Cl. Patinus in Nummis Impp. Romanorum vulgavit. Ad hæc Lectorem monitum velim, Rœmetalcem non Cotyis liberorum tutorem fuiſſe, ſed ipſius Regis filium, Dionemque ſeu ipſius ſcriptores nomen pupilli pro tutoris nomine expreſſiſſe, ut infrà demonſtrare conabor.

Pag. ejuſdem lin. 25. *En Cotyis ipſius argenteum didragma.* Hunc nummum ad Cotym Rœmetalcis filium refert Seguinus, imò potiùs ad Cotym Rœmetalcis patrem, hujus avum pertinere videtur. Plures numerantur Cotyis nomine in Thracia Reges, ſed Cotys nomine quartus, & alter ordine quintus in nummis hactenus obſervati ſunt. Ille ſenex & barbatus, hic juvenis & imberbis, naſoque oblongo

oblongo depingitur. Uterque in Theſauro Regio aſſervatur. At Cotys ille in nummo Seguini percuſſus, barbâ prolixâ ornatur, exhibetque in poſtica parte laureatam Auguſti faciem cum litteris Θ Κ Φ, id eſt anno DXXIX. æræ ſcilicet Thraciæ Regum. Hîc perhibetur, Rœmemetalcis pater, cognatus aut frater Sadalis Thraciæ Regis, qui mortuus anno quo Julius Cæſar in Senatu interfectus eſt, hæredem Populum Rom. ſcripſerat. Cotys avitum à M. Antonio regnum, cujus partes contra Caſſium & Brutum ſequutus fuerat, recepit, poſt Antonii mortem ab Auguſto in regno confirmatus, hunc nummum in ejus honorem memor percuſſit: ſed Cotys nomine quintus, juvenis adhuc occiſus eſt. Poſt enim Rœmetalcis patris mortem, dimidiam regni tantùm partem ab Auguſto accepit, altera ab eodem Rheſcyporidi patruo data eſt; ipſe crudelis, regnique ſocium non ferens, Cotym ingenio mitem circumvenit, deinde interfecit. *Dion. 47.*

Pag. 42. lin. 2. *Cum litteris* Θ Κ Φ, *quæ an ſint numerales, & æram quamdam computent.* Nullus dubitandi locus, quin illæ litteræ Θ Κ Φ numerales ſint: annum Thraciæ Regum æræ DXXIX. computant, in quo ſenior ille Cotys nummum in Auguſti honorem percuſſit. Illa Regum ſeries in nummis illuſtriſſima & ita vetuſtiſſima eſt, ut omnes aliorum Regum æras hactenus à me obſervatas longè ſuperet: ipſius initium ſeu caput apud hiſtoriæ ſcriptores non detegitur, antiquiſſimus illorum Rex nominatur Sitalces, quem in bello à Xerxe Perſarum Rege contra Græcos anno Mundi MMMDXXV. illato, interfectum narrat Thucydides, à quo, ſi ad tempora Cotyis, *Lib. 1.*

qui anno MMMDCCCCLXXX. regnaſſe dicitur, anni CCCCLV. tantùm numerentur, & in nummo DXXIX. ſignentur, initium ſeu caput æræ illorum Regum, Sitalcis ætatem ſeptuaginta quatuor annos haud dubiè antevertit.

Pag. 43. lin. 6. *Qua Reguli iſtius nomen quo ſcribendum ſit edocemur.* Duo in hoc Thraciæ Regis nomine examinanda veniunt, vocis principium, & finis: principium, an Rheſ. aut Rhaſ. dicatur; finis verò, an polis vel poris ſcribi debeat. Cæſar, Paterculus & Appianus Rhaſcypolim, Suetonius Thraſcypolim, Tacitus Rheſcyporim, Dio Rhaſcyporim vocant. Seguinus pro Tacito ſtat, Carolus Patinus Dioni favet, nummi omnes in Cimeliis Lutetiæ aſſervati, conſtanter legunt, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΗΣΚΟΥΠΟΡΙΔ. Sed non ſolus ille Rex Thraciæ, Rheſcyporis nominatur; alter ejus nepos, Rœmetalcis ſcilicet junioris filius, Neronis ævo degens, ſimile nomen gerit. Illius ectypum ex muſeo noſtro libenter hîc in rei antiquariæ ſtudioſorum gratiam exhibere placuit.

In Vita Tiberii num. 38.



Ab una parte caput Rheſcyporidis Regis cum capillis oblongis, diademate inſignitum, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΗΣΚΟΥΠ. exhibetur: ab altera caput laureatum Neronis, cum litteris numeralibus ΔΚΧ. annum

Thraciæ Regum æræ DCXXIV. deſignantibus, unde legitima Rheſcyporidis nominis lectio tam in avo quàm in nepote confirmari videtur.

Pag. 47. lin. 6. *Quis ille ſit Regulus Ininthimevus aut aut Thimevus, Antiquariorum diſquiſitioni permitto.* Altum eſt de Ininthimevi voce, quam nummus exhibet, apud hiſtoriæ ſcriptores ſilentium. ΒΑΣΙΛΕΩΣ nomen, ſceptrum ante faciem ſignatum, diadema quo caput ejus cingitur, Regem arguunt; cælatura nummi Cotyi & Rheſcuporidi ſimilis, illum in Thracia regnaſſe demonſtrat; litteræ numerales æram Thraciæ Regum denotantes, ejus in regno ordinem manifeſtant. Cotyis nummus annum DXXIX. ſignat; nummus autem Ininithimevi annum DXXXI. Illum igitur Cotyi ſucceſſiſſe probant, ſicut anni DXLII. in nummo Rheſcyporidis percuſſi Inthimevum Rheſcyporidi anteriorem declarant. Itaque ſimilis & ſubſequens æra tres illos Thraciæ Reges aliis alios ſucceſſiſſe pronuntiat, Dio pupilli pro nomine tutoris ſubſtituit: hæc ille. *In Thracia* *Lib.* 54. *M. Lollius Rhymetalci avunculo & tutori filiorum Coccyios auxilium ferens, Beſſos domuit.* In locum vocis *Rhymetalci* reponenda eſt *Ininthimevo.* Cotys ſenior duos habuit filios, Rœmetalcem & Rheſcyporidim, quorum tutelam uxoris fratri Ininthimevo reliquit, qui regnum ſub pueris nepotibus adminiſtravit Regis titulo. Id nomen avunculi confirmat ille ſenex & prolixa barba; hic verò juvenis & imberbis ubique depingitur.

Pag. 48. lin. 2. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. Cùm diu poſt mortem auctoris noſtri, hæc de ſelectis ipſius muſei numiſmatibus altera editio in lucem pro-

dire ſit morata, Ill. Spanhemius, qui tam eruditè & eleganter de Nummorum Uſu & Præſtantia ſcripſit, hunc nummum Sauromatis Sarmatiæ Regis, & alios quos poſſidet Theſaurus nummorum Regius, nuper in doctiſſimis ad Juliani Imperatoris Cæſares Commentariis vulgavit, & ita illuſtravit, ut mihi pauca hîc ſint adjicienda: ſed cùm ille hoc in loco Lectorem monuit, me aliquando de quorumdam Regum æra ſcripturum, hîc ad illuſtrandum auctorem noſtrum de nummis Sauromatum Regum, quid de ipſis haberem, recenſere non alienum exiſtimavi. Boſphori ſeu Sarmatiæ Reges plerique *Sauromates* nominati videntur, ut Parthorum Reges, *Arſaces*, ſicut & Cappadociæ, *Ariarathes* dicti ſunt. Hoc *Sauromatis* nomen illos accepiſſe in memoriam ejus qui ex poſteritate Semi, Noë filii, qui Sarmatiæ nomen indidit, ut Beroſo placet, affirmare nolim; ſed ab illo qui in Alexandri contra Perſas expeditione, ab ejus Ducibus regno ſpoliatus, illud poſt occiſum Antigonum in pugna ad Ipſum Phrygiæ anno U. C. CCCCLIII. commiſſa, recuperavit, à quo tempore Sauromates Boſphori Reges æram ſuam dinumerarunt, ut ſequentes confirmant nummi. Primus ille eſt nummus, de quo auctor noſter ex Illuſtr. Guill. Lamonii Senatus Principis Muſeo in Theſaurum Regium tranſlatus, qui ab una parte Regis caput & Sauromatis nomen, in altera laureatum Trajani caput exhibet cum hiſce litteris HΥ, quæ Seguinum fugerunt, annum illorum Regum æræ CCCC. VIII. deſignantibus. Si autem illi CCCCVIII. æræ anni, adjiciantur annis U. C. CCCCLIII æræ illorum Regum initio à me aſſignato, ſimul efficient anni U. C.

DCCCLXI. in quo Trajanus duodecimam exercebat Tribunitiam poteſtatem. Secundus nummus à me Conſtantinopoli ab Aurifice emptus eſt, dum ad nummos pro Theſauro LUDOVICI MAGNI comparandos miſſus fui. Ille ab una parte præfert caput Sauromatis Regis, ſed cum ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ cognomine, quod ille Rex, ut ſe ab aliis ejuſdem nominis Regibus diſtingueret, ſelegit: ab altera capita Antonini Pii & M. Aurelii adverſa cum litteris numeralibus ΘΝΥ. illæ annum æræ illorum Regum CCCCLIX. deſignantes, ut ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ nomen hunc Regem ſuperioris filium proculdubio demonſtrant: ſi enim illi CCCCLIX. anni, initio ſeu capiti illorum Regum æræ U. C. CCCCLIII. ſuprà adſignato adjiciantur, ſimul efficient annum U. C. DCCCC. XII. Tribunitiæ verò poteſtatis Antonini Pii vigeſimæ-tertiæ, & M. Aurelii decimæ-quartæ. Tertius hic noſter nummus exhibet ab una parte Sauromatem Regem, ultimi aut filium aut ſucceſſorem, ut indicant litteræ numerales ΔϘΥ. annum illorum Regum æræ CCCCXCIV. notantes cum Sept. Severi effigie in altera nummi parte percuſſa, ſi etiam illi anni CCCCXCIV. cum æræ illorum Regum capite, anno U.C. CCCLIII. adſcripto conjungantur, ſimul annum U. C. CCCCDXLVII. numerabunt, quo Sept. Severus tertiam Tribunitiam poteſtatem agebat. Abunde ex iſtis litteris numeralibus in nummis illorum Regum Sauromatum ſignatis, eorum æra ab anno quo interfectus eſt Antigonus Cocles, ille Alexandri M. Dux, numeranda confirmatur, quando illi regnum recuperaverunt.

Pag. 63. lin. 10. *Mithridatis Pergameni eſſe ſuſpicatus ſum,*

tum propter verbum ΓΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, *tum propter diverſa in utroque oris lineamenta, tum quòd magnus ille Ponticus in ære ſincerus vix reperiatur.* Hæc tria auctorem noſtrum, ut nummo Mithridati Pergameno adjecto, illum Pontico Regi eriperet, impulerunt; quæ lectori examinanda proponuntur. Primò de ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ verbo in poſteriori nummo ſignato agendum eſt: illud nec ad Ponticum, nec ad Pergamenum Regem ſpectare videtur, ſi alter Ponti Monarcha, alter Gallo-Græciæ Tetrarcha extiterit, ſed ad Pergamum urbem tunc temporis ſub Romanorum Aſiæ Proconſulum adminiſtratione ſubjecta pertinet ille nummus. Ad hæc vox ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ nuda eſt, & Prætoris tantùm, non verò Regis nomen arguit: nec enim cum ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulo ſociata eſt, nec caput illud diademate Regum inſigni, ſed galeâ Minervæ potiùs ſeu Martis ſymbolo adornatur. Prior quidem nummus Mithridatis Pontici eſt, nec ad Pergamenum ſpectare poteſt, & ut *diverſa in utroque oris lineamenta* ab auctore noſtro reperta, facilè diſtinguerentur, oporteret ut Pergameni illius Mithridatis effigies jam apud Antiquarios nota eſſet; ſed ejus nummi hactenus non obſervati perhibentur, & ſolus ille Seguinus primam ejus effigiem nobis hîc proponit. Fruſtra juvenile prioris nummi caput, cum aliis tetradragmis ipſius Eupatoris omnino diverſum contendit; imò attentè intuenti illis non diverſum, ſed ſimile videtur, niſi quòd ille Rex in ætate juvenili hoc in nummo, in aliis in provectiori percuſſus habetur: nam Mithridates anno decimotertio regnare cœpit, ſeptuageſimo verò è vivis exceſſit. Denique dubium tollere debet annus regni Mithridatis Pon-

tici duodecimus his litteris I. B. in averſa nummi parte ſignatus, ſcilicet quando ille vigeſimumquintum ætatis annum attigerat, qua de cauſa caput ejus juvenile exhibetur. Quid enim Pergameni nomen cum Pergamo urbe commune habet? Mithridates ille dictus eſt tantùm Pergamenus, quòd Pergami educatus fuerit, nec in hac urbe quidquam obtinuit, & nomen illud ludibrii eſt potiùs quàm illuſtre. Omnes ſciunt illum Tetrarchiam Gallo-Græciæ à Julio Cæſare poſt victum Pharnacem accepiſſe, ob adductas ipſi auxiliares copias contra Alexandrinos, & in ea tres aut quatuor annos tantùm regnaſſe, Rex deinde Boſphori contra Aſandrum ab eodem conſtitutus, ab Aſandro in prælio interfectus, regnum non obtinuit. Denique verba hæc, *quòd magnus ille Ponticus in ære vix reperiatur*, parvi ſunt momenti. Numiſma Pergameni illius Mithridatis hactenus incognitum, ex omni metallo ſuprà aſſertum eſt. Pontici verò Regis nummi ex argento tetradragmales, & ex ære obvii ſunt: huic ſimilem poſſidebat Romæ Eminentiſſimus Cardinalis Maximus, alterum ipſe dono dedi R. admodum Patri de la Chaize Soc. Jeſu, Regi à Confeſſionibus; ita ut æreos Eupatoris Mithridatis nummos vix reperiri Seguinus non penitus affirmare debuit.

Strabo l. 13. Joſeph. l. 4. cap. 16.

Pag. 66. lin. 12. *Quin & nummum Græcum æreum primæ magnitudinis habeo, in quo caput Agrippinæ Claudii effictum eſt ſub icone Cybeles, cum inſcriptione*, ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΥΠΕΡΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Verba illa, ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, potiùs quàm ulla, ſimilitudo Agrippinæ Claudii, ut ad Principem illam fœminam nummum referret auctor noſter, ſollicitarunt; hæc ΚΛΑΥ-

ΔΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ verba non reguntur ab uxore Claudii Auguſti: frequens eſt non modò iſta Imperatorum Romanorum ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, ΝΕΡΩΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, & aliorum in nummis epigraphe, ſed & Regum antiquorum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, cæterorumque ſolita in-
Tacit. l. 12. ſcriptio. Rhodii libertatem jamdudum amiſerant, Nerone pro ipſis perorante, iis à Claudio reddita eſt, memores nummum ſignarunt in honorem Claudii. Seguinus ob verba ΚΛΑΥΔΙΟΥ CΕΒΑCΤΟΥ, effigiem Agrippinæ Claudii uxoris in nummo exhibitam prædicavit, ſed ſub Cybeles icone, quia turrita depingitur. Vox autem ΥΠΕΡΙΩΝ rem denotat manifeſtam. Caput illud, Hyperionis eſt, ſeu Solis, quem Rhodii eundem intellexerunt, licèt Mythologi Hyperionem Solis patrem affirment. Ille turribus ornatus ſignatur, ut præſes urbis Rhodi, ſeu genius, ſive tutelaris deus. Hunc
Diſſ 9. f. 791. nummum valde illuſtrat alter, quem Nobiliſſimus Spanhemius in Gaza Medicæa ſe obſervaſſe affirmat, cum hac epigraphe, ΡΟΔΙΟΙ ΥΠΕΡΙΩΝΙ ΑΝ. id eſt, *Rhodii Hyperioni dedicarunt.* De eodem Hyperionis nummo eruditiſſimus vir Jacobus Perſonius in ſua de variis Antiquorum nummis Diſſertatione, Daventriæ anno 1679. typis mandata, quam ad me dono miſit, plurima & quidem eleganter ſcripſit.

Pag. 72. lin. 5. *Hoc eſt* ΙΩΤΑΠΗ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Integrum hujus Reginæ nummum haud viderat Seguinus noſter, fugaces proculdubio ejus numiſmatis litteræ fuerunt: ſed cùm plurimos & integerrimos ſæpius

Iotapis

Iotapis Reginæ nummos in diverſis cimeliis inſpexerim, legitimam ejus inſcriptionem conſequutus ſum, & unum integerrimum in muſeo noſtro cum multis aliis Regum & Reginarum raritate ſeu elegantiâ præſtantiſſimis aſſervo, in quo conſtanter legitur, ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΙΩΤΑΠΗ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ, non autem ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ; nec Regis alicujus, ſed peculiare Iotapis Reginæ cognomen eſt. Antiochus Commagenæ Rex, numquam PHILADELPHI nomen,[1] imò potiùs MAGNI & EPIPHANIS titulos in nummis ſibi attribuit. Quærenda ergò alia eſt Iotapis nominis Regina; nam in tertiam ex iis quas vulgavit Seguinus, convenire nequit; ipſa Regis Antiochi filia, non Commagenæ Regina extitit, Alexandro Leſidis in Ciliciæ parte Regi nupta, ut à Joſepho recenſetur, nummum à Commagenis in honorem ſuum cum titulo Reginæ non obtinuit: ſpectat nummus ad Commagenæ Reginam, quam ipſius matrem ejuſdem cum principe filia nominis fuiſſe exiſtimo: illa quidem Antiochi Epiphanis non modò conjux, ſed ipſius etiam ſolenni Aſiaticorum Regum more, ſoror, ut illud inſignis concordiæ & amoris cognomen, ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ, id eſt, amans fratrem, innuere videtur. Plurimi ejuſdem magnitudinis & formæ Antiochi & Iotapis nummi ſimilem in averſa parte typum, putà gammarum ſeu ſcorpionem, præferentes, conjecturæ noſtræ favent; eam verò penitus confirmat rariſſimus & elegantiſſimus Theſauri Regii nummus, quem hìc exhibeo. *Lib. 18. c. 11.*



Ab una parte caput Regis diademate inſignitum conſpicitur cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΕΠΙ. id eſt, *Rex magnus Antiochus Epiphanes.* In averſa parte figura muliebris ſedens, cum inſcriptione, ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΙΩΤΑΠΗ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, id eſt, *Regina Iotape Sebaſtenorum.* Caput diadematum, Antiochi Commagenæ Regis eſt. Diadema & titulus Regem, nomen & effigies Antiochum Commagenæ, Magni & Epiphanis cognomina tertium hujus nominis Antiochum arguunt. Figura ſedens in poſteriori nummi parte, Iotape ipſa Regina eſt, ipſius nomen & Reginæ titulus, eam eſſe convincunt. Utraque in eodem nummo effigies & figura, in honorem Principum ſuorum à Sebaſtenis ſignata videtur: ſed quinam fuerint illi Sebaſteni, & quam ob cauſam numiſma hoc ſignarint, non abs re forſan erit inveſtigare. Antiochus ille Magnus & Epiphanes cognominatus, paternum ſub Tiberio regnum amiſit: lis enim mota eſt inter nobiles & plebem patre illius mortuo, hæc ſubeſſe Imperio Romano poſtulabat, *Dio lib. 56.* illi Regem ſuum optabant; Tiberius autem Q. Servæo Equiti Romano adminiſtrandam dedit, Antiochus Imperatoris gratiam ut ſibi conciliaret, Romam profectus, nihil ab eo impetravit, ſed regnum ipſo mortuo à Caligu-

la adjectis etiam quibuſdam Ciliciæ partibus recepit, etſi Antiochus primò ita familiariter Caio adeſſet, ut eum ad tyrannidem inſtruere diceretur, ab ipſo deinde irato, iterum regno ſpoliatus eſt; Claudius tandem illi regnum reſtituit, Antiochus verò ad ſuos regreſſus, tanti beneficii memor urbem in Commagena in honorem Imperatoris condidit, eamque *Auguſtam* appellavit. De illa in libris Conciliorum frequens eſt mentio, dictaque *Auguſta Euphrateſia*, quòd in Euphratenſi provincia contineretur; ab aliis Armeniæ minori tribuitur, hodie adhuc extat, & *Azar* nominatur. Sebaſteni ut memoriam conditoris Regis & Reginæ poſteris commendarent, nummum hunc in eorum honorem percuſſerunt.

Dio lib. 59.

Idem lib. 60.

Pag. 93. lin. 3. L. POL. MAEVI. Ex uno verbo tria componit Seguinus, & pro Regis nomine, prænomen, nomen & cognomen civis Romani, gentis Mæviæ, ſubſtituit. Nummi epigraphe, L. POL. MAEVI. errorem denotat; nunquam enim cognomen, familiæ nomini præmittitur, dicendum fuiſſet L. MAEVI. POL. ſed ejus prænominis gentis Mæviæ nulla apud hiſtoriæ ſcriptores fit mentio, auctor etiam noſter, quis & qualis fuerit Lucius ille Mævius Pollio, ſe nondum comperiſſe fatetur. Diviſa ergo illa verba, L. POL. MAEVI. in unum contracta, legitimam nummi inſcriptionem exhibent, ſi priùs lectorem monuerim, extremam verbi litteram s pro I perſpicuè videri, & ſic legitur in inferiori epigraphes parte MAEVS, anterior PTOL ſub aſpectum mox cadit, E partim deficit; ſed illuſtri Antiquario negotium faceſſere non debuit integra lectio PTOLEMAEVS. Litteras Latinas circa caput exaratas, ad Regem non ſpe-

ctare putavit; aſtrum in averſa in medio Lunæ falcatæ, quale videre eſt in argenteo Auguſti denario gentis Petroniæ apud Urſinum, ut illi nummum tribueret, impulit, & caput coronâ laureâ pro diademate quo manifeſtè cinctum eſt, ornavit, ut meliùs ſententiam firmaret. Non ſolùm diadema, ſolitum Regum inſigne, ſed pone caput tres illæ litteræ, REX, ab auctore noſtro prætermiſſæ, fugientes quidem tyroni, ſed perito nummorum indagatori perſpicuæ, Regem in nummo percuſſum demonſtrant. Veram illius iconem & inſcriptionem hîc exponere placuit.



Ad quem Ptolemæum Regem pertineat hic nummus, pronunciare non arduum videtur, Regibus Ægypti, qui ſemper ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ inſcriptionem in nummis ſuis poſuere non convenit, ſed Ptolemæo Jubæ junioris & Cleopatræ filio, Mauritaniæ Regi, adſcribendus eſt. Ille avi & patris exemplo Latina epigraphe in nummis uſus eſt, avus ut ſocius & amicus Populi Romani, pater verò Auguſti beneficiorum memor: obvia avi numiſmata illum prolixâ barbâ inſignem, patris rariora Romano more imberbem exhibent. Ptolemæus capillis criſpis ornatus juvenili facie decoratus, in rariſſimis ſuis nummis conſpicitur. Nemo neſcit infelicem

ejus Principis mortem; ille Romam à Caligula conſo- *Suet. in Caio.*
brino evocatus, etſi primò honorificè exceptus, deinde quod edente Imperatore munus, ingreſſus ſpectacula, convertiſſet hominum oculos fulgore purpuræ, ab eo per percuſſorem perfidè necatus eſt.

Pag. 109. lin. 22. *Joannes Vaillant monitum me voluit.* In hoc nummo Antonii, Cæſaris, & Octaviæ capita judicio auctoris noſtri percuſſa habentur; meo quidem, M. Antonii, Cleopatræ, & Antonii junioris effigies ſunt. De M. Antonio Triumviro pro uno ex tribus illis, nulla contentio, levis de Auguſto & M. Antonii filio, tota verſatur circa Octaviam vel Cleopatram. Multum ponit in Cæſaris junioris effigie Seguinus, & de Octavia tantum conjicit. *Octaviæ enim*, ait, *ſi unquam conjecturæ locus, tribuendum eſt caput tertium.* Si autem admittitur Cleopatra, Auguſtum rejicere neceſſe eſt, cum ea convenire nequit: ſed licèt Auguſti partes acriter tueatur Seguinus, à quo tamen nummus in ejus & ſororis honorem ſit cuſus, & quo tempore, valde dubitat, vanis illum conjecturis à Sexto Pompeio in gratiam fœderis cum Antonio & Cæſare confecti, aut poſt duos abhinc annos ab Agrippa devicto ipſo Pompeio ſignatum ſuſpicatur. Quis credat Pompeium hoſtes ſuos M. Antonium & Auguſtum in nummis ſignaſſe, aut Agrippam devicto ipſo Pompeio Auguſtum in eodem nummo, & in loco quidem inferiori, cum M. Antonio jam Cleopatræ amore capto conſociaſſe? Romani illo tempore principes fœminas in nummis, etiamſi illis ſtatuas *Dio lib. 49.*
darent, percutere non conſueverant, nulli hactenus nummi cum Octaviæ vultu, aut cum M. Antonio in-

ſpecti ſunt; Cleopatræ autem ſine M. Antonii effigie & cum ipſius capite quotidie Antiquariorum manibus teruntur, jus enim cudendæ monetæ Regina penes ſe habebat. Non ad Auguſtum & Octaviam, ſed ad M. Antonium & Cleopatram pertinet nummus, & à quo percuſſus ſit, inquirendum eſt. M. Oppium Antonianæ claſſis Præfectum, nummum cuſiſſe, auctorem noſtrum jam monueram; ille ſententiam noſtram reſpuere non auſus, eam eludere, ut ſuam tueretur, conatus eſt. Illi tunc Romæ nummum indicaveram, alterum poſſidet Ill. Harlæus Procurator Generalis, integriorem Anconæ obſervavi, in quo à parte anteriori legitur, M. ANT. IMP. COS. DESIG. TER. ET. ITER. III. VIR. R. P. C. & in poſteriori parte, M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CLASS. F. C. Igitur nimis audacter à Seguino reſtituta illa, IMPER. ITER. PRAEF. CLASS. ET. ORAE. MARIT. EX. S. C. Non admodum rari ſunt M. Oppii cujuſlibet formæ, minimæ, mediæ, & primæ nummi, cum ſola Antonii effigie, aut cum Cleopatra ex adverſo, aut etiam jugata illorum capita. Nihilominus nummum ſuum in Sicilia percuſſum ob Triquetram in ejus area ſub ſiniſtra navis parte ſignatam contendit, illam Siciliæ nummorum notam ait, ſed non omnium: in plurimis enim ipſius inſulæ apud Goltzium & alios non reperitur; ad hæc nummi illi quos vidimus, rei nummariæ peritorum teſtimonio, etſi notam illam præferant, Ægyptiæ fabricæ ſunt. Inſtat auctor noſter. Quid tum ſi nummum Oppius in honorem Antonii, Auguſti & Octaviæ præfecturâ aliquâ à Sexto donatus, percuſſit, deinde illo relicto, cum multis ejus amicis ad Antonium

Theſ. Reg. Car. Patin. Famil. Rom.

tranſierit, & M. Antonii & Cleopatræ cudendis nummis, quemadmodum antea ſub Pompeio, operam dederit? Id leve & parvi momenti eſt, cùm de nummo Auguſti & Octaviæ nullo modo conſtet. Annon triquetra Monetarii nota eſt, qualis ipſa in nummis gentis Calpurniæ, Mariæ, Papiæ, & aliorum obſervatur? Oppiorum familia forſan è Sicilia oriunda eſt, antequam tribus Terentina M. Fulvio & T. Manlio Coſſ. anno U. C. *Tit. Liv l.10.*
CCCCLV. inter alias numeraretur, & ſic M. Oppius Capito patriæ memor, ipſius ſymbolo pro nota uteretur. An ipſe Proprætore Siciliæ eam adminiſtrabat, dum ad partes Antonii tranſiit? Ille enim in hoc nummo PROPR. inſcribitur, forſan etiam à M. Antonio in hoc munere aut nominatus aut confirmatus eſt. Cauſæ enim *Dio lib. 50*
& prætextus belli inter Cæſarem & Antonium erant, quòd Auguſtus provincias cum Lepidi tum Sexti ſibi vindicaſſet, quæ debuerant communia ambobus eſſe. Sicilia Antonii videtur hoc tempore fuiſſe ex his Dionis verbis, in oratione quam Antonius habuit ad milites: *Denique quanta tandem portio Sicilia eſt noſtri Imperii.* Sic Oppius Siciliæ Proprætore triquetram ipſius ſymbolum in nummis M. Antonii cum Cleopatræ effigie potuit ſignare. Muliebri illo tandem capite in nummo Seguini pro Cleopatra Ægypti Regina ex adverſo M. Antonii, aſſerto, tertium illud ad Auguſtum ſpectare nequit, etſi frequenter M. Antonii & Auguſti capita in nummis illorum argenteis ſeu aureis exhibentur, ſemper ab una parte Antonius, & ab altera Auguſtus conſpicitur, ut nullus forſan videatur inter eos gradus ſuperior, effigies illæ ſub aliis poſitæ ipſis penitus infe-

riores ſunt, & utplurimum uxorum aut filiorum habentur. Meritò igitur caput illud juvenile M. Antonio ſociatum, ad M. Antonium Antonii Triumviri ex Fulvia filium revocandum eſt, ipſius caput in ſequenti nummo aureo, auctor noſter jam exhibuit; ſicque novum & inauditum, quale eſſet Cæſarionis, non videor nummum proferre.

Pag. 124. lin. 3. ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ Κ. ΓΗ ΓΩΝ. Lectionem hoc in nummo à ſenſu longè remotam pro vulgari & admodum trita ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΡΗΤΩΝ auctor noſter protulit: ſi quis illuſtrem nummorum ſcriptorem inſolitum Cretæ epithetum pro legitima illius appellatione expoſuiſſe miretur, ſibi in mentem revocet verum illud verbum eſſe, quod vulgò dici ſolet, *aliquando bonus dormitat Homerus.*

Pag. 125. lin. 5. *Notas illas* ΕΚΟΡΛΥ *in nummo exaratas uſque adhuc non intelleximus.* Quod non erat in verbo ΚΡΗΤΩΝ dividendum, ſeparavit Seguinus, & quod disjungendum erat in litteris ΕΚΟΡΛΥ, non diſtraxit; itaque quid ſibi velint non intellexit. Earum ſenſum non meliori fato aſſequutus eſt Adolphus Occo; è contrà barbaro verbo illo ΕΧΟΡΑ eum penitus obſcuravit. Prima igitur littera Ε ſeponenda eſt, & habenda pro ΕΠΙ, id eſt *ſub*, tres aliæ ſequentes ΚΟΡ. pro ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ, id eſt *Cornelio*, familiæ Romanæ nomine, reliquæ duæ ΛΥ. pro ΛΥΠΟΥ, id eſt *Lupo*, uno ex illius gentis cognomine legitima illa litterarum ΕΚΟΡΛΥ *ſub Cornelio Lupo*, videtur explicatio, eandem in ſententiam ivit doctiſſimus Giſbertus Cuperus in libro quem noviſſimè edidit de Numiſmatibus antiquis explicatis,

explicatis.

Pag. 134. lin. 2. *Quidam, reſtituto nummo; alii, reſtitutâ Numidiâ; ego addo & audeo, reſtituto numine.* An non melior de reſtituta Numidia, quàm de reſtituto numine, ſententia, dijudicent eruditi. Numidia ab Auguſto in provinciarum diviſione Populo Romano data eſt, & Proconſularis dicta; deinde cùm Garamantes illam incurſionibus devaſtarent, tutandis Imperii finibus ab eo Legio tertia Auguſti miſſa eſt. Provincia & Legio ſub Auguſto & Tiberio Principibus Proconſuli parebant: deinde C. Cæſar turbidus animi M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam Proconſuli Legionem, miſſo in eam rem Legato tradidit. Id videtur adhuc Vitellii tempore obſervatum: Calpurnius enim Piſo Proconſul Africam regebat, dum Valerius Feſtus Legatus exercitui præerat. Provinciæ Populi Romani antiquo Reipublicæ more adminiſtrabantur, & earum Rectores illas ſorte inibant; Legatus verò ad exercitum ab Imperatore mittebatur. Clodius Macer à Suetonio Neronis in Africa Legatus dicitur: ſed quis Proconſul eam gubernabat, ſilet hiſtoria. Calvia Criſpinilla ſub finem imperii Neronis expoſtulata ad ſupplicium, variis fruſtrationibus, & adversâ diſſimulantis Principis famâ, periculo exempta eſt, magiſtra libidinum Neronis tranſgreſſa in Africam ad inveſtigandum in arma Clodium Macrum, famem Populi Romani haud obſcurè molita eſt; ille deinde auditâ Neronis morte, cùm plurimi res novas molirentur, aliquid tentare auſus eſt; & ut militum & provinciæ gratias ſibi conciliaret, Legionem tertiam Aug. cui præerat, & Africam liberas pro-

Dion.

Tacit. lib. 4.

In Galba.

Tacit. ibid.

nuntiavit, & nummos in hanc rei memoriam percuſſit. Teſtis eſt ille rariſſimus argenteus Georgii Barbaro Senatoris Veneti comitate acceptus, & à me cum ſexcentis aliis raritate, mole & elegantiâ præſtantiſſimis in Theſauro Regio depoſitus, cujus ectypum, quem mihi ſervaveram, hîc profero.



Ab una parte exhibet caput ipſum Africæ elephantis proboſcide ornatum, cum epigraphe, C. CLODI MACRI. LIBERA. S.C. In averſa duo ſigna militaria, aquila legionaria intermedia cum inſcriptione, LEG. III. AVG.
Suet in Ner. Clodius Macer adinſtar Plebis Romanæ, quæ pileata poſt Neronis cædem totâ urbe diſcurrerat, quaſi libertatem recuperaſſet, non modò legionem & provinciam liberas dixit, ſed ut libertatem tueretur, legionem novam contraxit, cui nomen *Liberæ* dedit. Id verba
Lib. II. Taciti innuunt, dum ait: *In Africa legio cohorteſque delectæ à Clodio Macro.* Sed rem penitus confirmat elegantiſſimus ille argenteus nummus à Cl. Patino vulgatus, aut
In Suet. Not. pag. 344. ab ipſo obſervatus, aut ex Occone excerptus, in quo ipſa Libertas ſtans cum pileo ab una parte ſignatur, C. CLODI. MACRI. & in averſa ſigna militaria cum epigraphe, LEG.
In Theſ. I. MARIANA. LIB. Similis nummi meminit Goltzius. Interea cùm Roma gravi annonâ laboraret, rei frumentariæ vecturâ à Clodio Macro detentâ, Calvia Criſpi-

nilla reditum in urbem ſibi conciliare meditans, in id ſeſe interpoſuiſſe videtur, ut Clodius Macer frumenti copiam, omnemque frugum ubertatem liberam ſineret, & Senatus acta illius comprobaret; id arguere videntur non modò hæc verba Taciti, *Claudia Criſpinilla famem Populi Romani haud obſcurè molita, totius poſtea civitatis gratiam obtinuit:* ſed & illi ſuperiores nummi Clodii Macri cum S. C. id eſt Senatuſconſulto percuſſi. Hæc nota, ſolennis eſt Senatus in nummis percutiendis approbatio & conſenſus: hæc etiam reperitur in nummulo æreo novæ fabricæ ab erudito Triſtano cum capite ipſius Macri vulgato: notandum tamen eſt in utroque & Triſtani & Patini nummo, literam L, id eſt LVCII, prænominis Clodii Macri, pro C, id eſt CAII, eſſe ſignatam; conſtanter autem litera C in nummo Regio legitur, & Sole clarior apparet: cùm C non multùm differt à litera L, an alter ab altero qui nummum malè legerit, mutuatus eſt literam? prænomen enim Lucii ex Suetonio genti Claudiæ adaptari nequit, illud ob duorum infamiam conſenſu repudiavit. Dum in variis locis multi ad Imperium aſpirarent, Romæ Præfectus Prætorii Nimphidius Sabinus, in Germania Fonteius Capito, in Africa Clodius Macer, in Hiſpania Sulpitius Galba, hic ſolus Imperio dignus à Senatu exiſtimatus, Imperator ab eo nominatus eſt; quo nuntio accepto, Galba Romam contendit, iterque ingreſſus eſt paludatus, nec priùs uſum togæ recuperavit, quàm oppreſſis iis qui res novas moliebantur. Cùm autem in Africa Clodium Macrum per Trebonium Garrucianum Numidiæ Procuratorem interemiſſet, legionem III.

Lib. 4.

Tom. 1.

In Tiberio.

In Galba.

Tacit. lib. 1.

Aug. & novam Macrianam I. lib. cohorteſque à Clodio delectas exauctoravit. Proconſul ipſe biennio magnâ ſeveritatis ac juſtitiæ curâ Africam inteſtina diſſenſione & barbarorum tumultu inquietam ordinaverat; mox eam novis Clodii Macri motibus quaſi agitatam ſedavit, ſublatâque ei omni militiâ illam ſibimet reſtituiſſe videtur: Numidia de tanto Imperatore bene merita, ut Africa priùs nummos quaſi libertatis recuperatæ monimentum in Clodii Macri cum effigie ſua percuſſerat, ita in ſui reſtitutoris honorem, nummos cum Imperatoris capite ex una parte & ipſamet effigie in altera cum epigraphe, REST*ituta* NVM*idia*, ſignavit. Scrupulus tamen duplex auctorem movet; primum ait Numidiæ nomen in nummis non legitur, quid tum? nonne provinciarum Romanarum in nummis Hadriani & aliorum Impp. hactenus non obſervata quotidie reperiuntur. Deinde figura illa muliebris, Deæ potiùs alicujus, quàm Provinciæ ſpeciem præ ſe fert; nullum habet peculiare inſigne, quo attribui debeat Fortunæ, ut exiſtimat Seguinus, nec alicui Deæ, ſed in ipſis Galbæ nummis ſignata ſunt plurima Provinciarum capita, unus Galliæ effigiem, alter Hiſpaniæ, tertius tria Galliarum capita exhibet. An potiùs Numidiæ quàm Fortunæ caput in hoc nummo ſignatum ſit, dijudicent eruditi, inter illos jam favet ſententiæ noſtræ illuſtriſſimus Spanhemius, qui provinciæ nummum tribuit, dum illum explicat REST*itutor* NVM*idiæ*.

Suet. in Galba.

De uſu & præſtant. diſſ. 9.

Pag. 137. lin. 8. *Habet iſte nummus caput Othonis radiatâ coronâ inſigne, quales plurimi Neroniani conſpiciuntur.* Revera nummus ille non Othonis, ſed Neronis eſt. Legi-

tima ejus epigraphe ſic ferebat, ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ, ut plurimi Neroniani in multis Antiquariorum cimeliis cum ſimili effigie, coronâ radiatâ & epigraphe leguntur. Adulteratus eſt ipſe nummus, & novus artifex pro primis literis ΝΕΡ. haſce ΟΘ. ſubſtituit, & ita parum accuratè, ut priorum literarum veſtigia attentè intuenti adhuc facilè obſerventur. Effigies ipſa Neronem omnino exhibet, minimè verò Othonem. Nummus in Neronis numiſmatum Græcorum ſerie, ordine Urbium alphabetico, in Theſauro Regio, ubi aſſervatur, collocatus eſt. Græci Othonis nummi cum ſolo Cæſaris titulo, qualis eſt ille ΟΘΩΝ ΚΑΙΣΑΡ, hactenus non inſpecti ſunt, utplurimùm ΜΑΡΚΟΥ prænomine inſigniuntur, nec unquam coronâ radiatâ caput Othonis, inter quadraginta quos ipſius nummos obſervavi, mihi occurrit. Othonis nummi in auro, argento & ære reperiuntur: aurei omnes Latinâ epigraphe gaudent, ut & argentei drachmales, Romæ utplurimùm ſignati, & prænomen Marci, aut titulum Imperatoris habent. Argentei tetradrachmales Græcam Αὐτοκράτορος & Μάρκου inſcriptionem præ ſe ferunt. Ærei, vel Latini, vel Græci ſunt; Latini non Romæ, etſi s.c. habeant, ſed Antiochiæ in Syria percuſſi exiſtimantur: nam s.c. in aliquo partis averſæ loco, exiguâ mole quaſi notâ, ut in Latinis Romæ cuſis, non exaratur, ſed in medio coronæ laureæ inſertum, partem ipſam poſteriorem ferè componit. Græci in Ægypto omnes cum his literis L. A. annum Imperii primum deſignantibus cælati ſunt, nec hactenus in alia Populi Romani provincia cum urbis alicujus nomine ab Antiquariis obſervantur.

Illi omnes Othoniani nummi aut ſine aut cum laurea, ſed nulli cum corona radiata conſpiciunuur.

Pag. 147. lin. 10. *Sed nunquam, niſi in ſubjecto nummo, vidi columnam iſtam ſolidam & nudam cum impoſita faſtigio noctua.* Alterum aut ſimilem nummum ſe in nullis rei nummariæ ſtudioſorum cimeliis inſpexiſſe, revera fatetur auctor noſter: Romanus enim monetarius hanc non ſignavit columnam, ſed novus artifex in detrito nummo illam effinxit, & ita diligentem Antiquarium illuſit. Inde dignoſcant illi, qui ſe, cùm aliquot habuerunt aut inſpexerunt nummos, pro eximiis fictitiorum exploratoribus ubique jactant, quàm in illis perfectè dignoſcendis frequens & longa plurimorum nummorum tractatio & poſſeſſio requiratur.

Pag. 150. lin. 1. *Cum epigraphe*, PATIENTIA AVGVSTI. Optimè noverat auctor noſter Hadriano patientiam minimè convenire: virtutem igitur, quam in aliis Auguſtorum nummis nunquam obſervavit, impatienti Imperatori cur tribuerit, non video; res ita nova & repugnans dubium aliquod illi movere debuerat, fraudemque facilè detexiſſet. In nummo legebatur CLEMENTIA AVGVSTI, ſublatis primis literis CLEM, novæ illæ PATI ab artifice quodam ſubſtitutæ peritum Nummographum adhuc fefellerunt. Ejuſmodi epigraphe CLEMENTIA AVGVSTI, in nummis Hadriani, qui plurimos innocuos potenteſque Senatores ſuſtulit, adulatione videtur percuſſa; ſed meritò virtus illa Antonino Pio & M Aurelio attributa eſt, in eorumque nummis frequens cum figuræ muliebris ſtolatæ ſedentis ſeu ſtantis dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam puram gerentis typo re-

peritur.

Pag. 151. lin. 14. *Cum literis fugientibus, & ita attritis, ut adhibita diuturna & iterata meditatione vix aſſecutus ſim,* ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ. Cur attritam epigraphen in ſelectis numiſmatis, & minimè utilem aut raram dederit auctor noſter, penitus ignoro; non id nummi aut raritas aut elegantia poſtulabat. Antinoi enim nummi ex ære mediocri aut minuto inter præſtantiſſimos, non primas tenent, & ad nummi alicujus ſingularitatem integra ipſius & non mutila requiritur epigraphe. ΑΜΙΣΟΥ vox, quam ſe videre exiſtimavit Seguinus, in nummo haud reperitur, pro ea ΑΝΕΘΗΚ. legitur, & ante illam, finis alterius verbi deſinentis in ΜΟΣ, forſan ΙΕΡΩΝΥΜΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ, *Hieronymus dedicavit.* ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ autem mera eſt, ut ait ipſe, conjectura, ex ſolita ejus urbis prærogativa in ſuis nummis argenteis frequenter inſerta. Cæteræ literæ ita minutæ, confuſæ & attritæ ſunt, ut niſi ſimilis aliquando nummus occurrat, nulla legendæ illius epigraphes unquam ſpes affulgeat.

Pag. 160. lin. 12. *Inſcribitur,* LIBERATIS CIVIBVS. Diu hæc rariſſima & inſolita Pertinacis nummi argentei epigraphe Antiquariorum animos torſit, plurimi eam ut novam & additam condemnarunt. Sed ſimilis ejus Imperatoris nummi typus, Mutinæ in cimelio RR. PP. Congregationis Clericorum Minorum obſervatus, dubitandi locum ſuſtulit, genuina, ſincera, & abſque ſuſpicionis loco in his duobus nummis eſt epigraphe: in argenteis enim literas aliquas reſarcire, aut novas ſubſtituere difficile eſt, & primo intuitu dignoſcuntur: at

ætei, ſi liniantur quodam liquore antiquitatem ementiente, præſtantiſſimis etiam Antiquariis aliquando illuditur.

Pag. 174. l. 5. *Nihil in verbo mutandum obteſtatur.* Non unica aut inſolita eſt ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ in nummis epigraphe, illam Paduæ in M. Aurelio cum Apolline, alteram in Commodo Venetiis cum Hercule, ſimilem in Sept. Severo Romæ cum muliere ſtante, & alias in aliis Imperatorum nummis in cimeliis à me inſpectis obſervavi. ΒΡΟΥΖΟΣ urbs eſt Phrygiæ ſalutaris in Notitia Græcorum Epiſcopatuum. Frequens ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ Epiſcoporum in Conciliorum libris mentio, ſed apud Geographos, & in Vocabulariis geographicis ne verbum quidem reperi; unde ejus urbis ſitum & deſcriptionem ignoramus. Profectò nummis plurimùm debetur, qui Conciliorum mentionem ita confirmant.

In Muſ. Com. à Lazara.
In Muſ. Sen. Garzoni.
In Muſ. R P. Anſelm.

Pag. 178. lin. 24. *Illuc à Severo coloniam deductam potiùs crediderim, quàm à Vero.* Imò potiùs à Vero quàm à Severo facta videtur colonia Singara. ΑΥΡΗΛΙΑ dicta eſt à gente Aurelia, in quam M. Annius Verus & L. Ælius Verus Imperatores à T. Aurelio Antonino adoptati ſunt, qui coloniam Singaram deduxerunt, cùm Verus ad Parthicum bellum progreſſus, Vologaſem III. Parthorum Regem profligavit, & Avidius Caſſius ejus Legatus, vaſtatâ Seleuciâ atque incenſâ, Regiam illius, quæ in urbe Cteſiphonte erat, ſolo adæquavit, Parthiſque trans Tigrim expulſis, Meſopotamiam à Trajano in poteſtatem Populi Romani redactam recepit. Deinde cùm Vologaſes IV. ſuperioris filius, occupato Sept. Severo in bellis civilibus arreptâ licentiâ Meſoptamiam ingreſſus,

I. Nummis.

ingreſſus, plurimas urbes cepiſſet: quo accepto nuntio Severus mox in Syriam profectus, Niſibim pervenit; ſed Parthi adventu illius minimè expectato, domum ſunt reverſi, eâ occaſione Colonia Aurelia Singara ab Imperatore reſtaurata eſt, & addito ipſi Septimiæ gentis nomine, *Colonia Aurelia Septimia Singara* videtur appellata, plurimarum urbium exemplo, quales Beritus, Pella, Dium, Philippi, & aliæ, quæ à fundatore Julio *Juliæ*, poſtea ab Auguſto reſtauratore aut benefico, *Juliæ Auguſtæ* ſunt vocatæ, ut arguunt earum nummi in Antiquariorum cimeliis aſſervati. Parvi momenti eſt illa dignatio, quâ M. Aurelium proſecutus eſt Severus, ut nobis Coloniam Singaram, Aureliam & Septimiam, quæ duo diſtincta ſunt familiarum nomina, in Septimii Severi Imperatoris honorem, appellatam perſuadeat.

Pag. 183. lin. 7. *Sed mirè torquet ſtudioſos noſtros illa conſecratio, & Divi nomen expreſſum in nummo.* Marini conſecrationem dubius auctor noſter ad milites ejus intercmpti pœnitentes retulit, aut ad Decium ut reliquias fautorum Marini ſibi conciliaret; aut ad Philippum, ut à ſe Marinianæ cædis invidiam in rebelles converteret. Illuſtr. Comes Mediobarbus illam ad Philippopolitanos referendam cenſet, fortè ob defenſionem, *In Occon. Illuſt. pag. 352.* ait, hujus urbis contra Scythas à Marino ſuſceptam: ſed nummus Marini non à Philippopolitanis Thraciæ percuſſus eſt. Duæ ſunt Philippopolis nomine urbes; una in Thracia, Philippi Amyntæ Macedonum Regis filii opus; altera in Arabia, ab Imperatore Philippo *Aur. Vict.* condita, teſte Zonara, καὶ πόλιν βασιλεύσας ἐπώνυμον ἑαυτῷ ἐδομήσατο, Φιλιππόπολιν ὀνομάσας αὐτήν. Prioris frequens in nummis mentio, & ſæpe Metropolis dignitate inſigni-

tur, ΜΗΤΡΟ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Poſterior verò Coloniæ prærogativa in illis donatur, ΦΙΛΙΠ-ΠΟΠΟΛΙΤΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑΣ. In hac verò cælatus eſt Marini nummus, ut docet illius epigraphe: & ſimilem nummum in honorem Philippi, & quidem in aliis muſeis obvium ab illis Philippopolitanis cum ſimili typo & inſcriptione percuſſum obſervavit Seguinus, ideo Marini nummum Philippi nutu ſignatum apud Philippopolitanos Arabiæ ſuſpicatus eſt, imò debuerat affirmare. Cur enim in urbe tam à Marini electione remota, & Philippo planè devota, utpote ab illo condita, nummus, niſi ejus juſſu, percuſſus eſſet? Tribuenda ergo haud dubiè Philippo Marini conſecratio. Cùm Philippus Decium contra Marinum miſiſſet, milites hunc occiderunt, ut illum eligerent: tunc Philippus cæde Marini, qui Romanam ditionem adverſus Scythas erumpentes tam generosè tuitus erat, ut Romanorum odium in rebellem Decium concitaret, Marinum quaſi egregiis belli facinoribus dignum qui in ſocietatem Imperii admitteretur, inter Deos retulit; cujus rei memoriam nummi potiùs quàm libri nobis conſervarunt.

OMISSA.

Pag. 15. l. 4. *Sub nomine Sortis? Litteræ* C. S. *quæ ordine inverſo Senatuſconſultum deſignarent, quid hic ſignificant niſi* Caſum *&* Sortem? Nullum eſt de capite fœmineo dubium, nummus Sortem ludorum præſidem repræſentat, ſed literæ C. S. quid ſonant, non ita facilè eſt pronuntiare: illas Caſum & Sortem interpretatur auctor noſter, ſed non omnibus arridet illius ſententia; amicus rei nummariæ ſtudioſiſſimus ad aliquem talorum ludum ex talis in aver-

ſa parte ſignatis refert, unde literas c. s. *cape ſolve* explicat, id multum habet ſolertiæ, & optandum eſſet, ut conjecturas exponeret, ſed nunc ad res graviores attendit. De talorum ludo apud veteres uſitato pauca ad nos pervenerunt. Jactus venereus, qui omnes figuras diverſas reddebat, pro feliciſſimo habebatur; canis autem, qui & monas, omnium peſſimus erat, quatuor vervecinis oſſiculis figuras, non puncta ut in teſſeris, exhibentibus luſitabant: an quædam figuræ *cape* aut *ſolve* deſignabant, ut literæ in ludo quem nos *Totum* vocamus? aut potiùs ut in altero ludo quem dicunt, *le jeu de bœuf*, teſſeræ ex una parte tantùm ſunt notatæ, & qui eas jacit, tantam pecuniam capit, quanta ſunt enumerata puncta, aut ſolvit, ſi nulla ipſi obtigerunt. Sed nimis arduum alterius cogitata mentis eloqui, dum illa animus aperiat, alteram c. s. interpretationem proponere mihi liceat, cogitanti an ludus quidam nummo cudendo occaſionem præbere debuerit, ludendi licentia à Magiſtratibus permiſſa probabilior mihi viſa eſt. Caſſiodorus annos U. C. 638. M. Metello & M. Scauro Coſſ. refert L. Metellum & Cn. Domitium Cenſores artem ludicram ex urbe removiſſe præter latinum tibicinem & ludum talorum. Hæc videtur cauſa ſignandi numiſmatis legitima, ut literas c. s. *Cenſorum ſententia* interpreter. Id quatuor tali in averſa nummi parte ſignati, ut & epigraphe, quaſi lex in ludo ſtabilita, confirmare videntur: eædem literæ c. s. in multis auctoribus *Conſulum ſententia* ſignificant; forſan Conſules edicta Cenſorum, ſententiâ approbabant. Dum hæc ſcribebam, ex Hiſpania mihi allati ſunt plurimi nummi veteres, præſente noſtro Jomberto, inter quos talus erat antiquus, non vervecinus, ſed æreus, nec ullis punctis aut figuris notatus.

Cal. Rhodig.

Chronic.

SELECTORUM NUMISMATUM
INDEX ALPHABETICUS,
Sive capita exhibeant, ſive ſolam inſcriptionem.

Paginam indicant numerales notæ.

A

AElia Verina. *Crux in Corona.* 185.
Ælius. *Caput apri.* 321.
Agathodæmon. 299.
Agrippina Claudii. *Coloſſus cum trophæo.* 66.
Agrippina. *Germanicus* 317.
Alexandri Epirotæ nummus. *Fulmen.* 68.
Alexander Severus. *Indulgentia Aug.* 170.
Anaballianus. *Fluvius.* 328.
Antiochus Epiphanes. 402.
Antinous. *Gryphus figuram ipſius efferens.* 151.
Antinous. *Upupa.* 152.
Antoninus Pius. *Serapis Ammon.* 2.
Antoninus P. *Damnaneus.* 8.
Anton. P. *Rhea partus.* 127.
Anton. P. *Jupiter in nubibus.* 154.
Anton. P. *Rhodope.* 157.
Antoninus Caracalla. *Hercules Tyrius.* 168.
Antoninus. *Mons Argeus.* 311.
Antonius cum Auguſto & Octavia. *Triremis Sicula.* 106.
Antonius. *Caput M. Antonii filii.* 112.
Apamenſis nummus. 226. 228. & 282.
Ariarathes. *Templum.* 60.
Alter diverſus. 62.
Auguſtus Mæviæ Gentis. *Aſtrum in luna creſcente.* 93.
Auguſti nummus Patrenſis. *Moneta impetrata.* 114.
Auguſtus. *Cupido in Delphine.* 117.
Aug. nummus Cæſaraug. *Signa militaria.* 119.
Auguſtus. *Tridens cum Delphinis.* 316.
Auguſtus. *Facies Polemonis.* 317.
Aurelianus. *Mulier & Imperator ſtantes.* 324.

B

BAlbinus. *Templum Solis.* 132.
Balbinus. *Statua equeſtris.* 314.
Britannicus Cæſar. *Figura ſtans.* 129.
Britannicus Nummus. *Digamma.* 195.
Bulla Gallæ Placidiæ. *Angelus cum cruce.* 330.

C

CÆcilii Aquini nummus. *Tripus.* 90.
Caligula. *Mulier ſedens.* 308.
Caninii Agrippæ num. *Cap. Romæ.* 78.
Carus. *Felicitas.* 326.
Celmus, Idæus Dactylus. *Figura ſtans.* 18.
Charondas. *Catanenſium num.* 191.
Cleopatra. Phyſconis. *Aquila.* 69.
Clodius Macer. 410.
Clodii Pulchri num. *Bini ſerpentes.* 80.
Commodus. *Hercules imberbis.* 312.
Cotys. *Cap. incognitum.* 42.
Cyzicus. *Faces cum ſerpentibus.* 26.
Cyzicus. *Templum.* 30.

D

DEcius Imp. *Rhea cum Curetibus.* 182.
Decius cum. Her. Etruſcilla. *Colonia Rheſana.* 291.
Diana Auguſta. *Cervus.* 67.
Diana Perſica. *Ara ignita.* 11.
Diadumenianus. *Juno cum Pallade.* 314.
Domitianus. *Duo cornucopiæ.* 334.
Druſus & Germanicus. *Cum corona.* 306.

E

EPrii Marcelli num. *Cap. juvenile.* 103.

F

FAbius Maximus. *Inſcriptio Græca.* 99.
Fauſtina. *Harpocrates.* 321.
Fortuna. *Feliciter.* 4.

G

GAlba. *Cap. muliebre.* 133.
Germanicus. *Agrippina.* 307.
Geta. *Iupiter Stratius.* 6.
Gordianus III. *Templum Iunonis Samiæ* 174.
Gordianus III. & Tranquillina. *Col. Cingara.* 176.

H

HAdrianus. *Patientia Aug.* 150.
Hadrianus. *Caput urſi.* 319.
Hadrianus. *Caput Iovis cum Ibi.* 320.

Hector. *Pallas.* 34.
Hector. *Figura bovis.* 330.
Herodes Chalcidenſis. *Claudio Auguſto.* 50.
Hildericus. *Carthago Felix.* 52.
Hippone. *Libera.* 13.
Homerus. *Caput mulieris turritum.* 331.

I

IDriei num. *Cap. Solis.* 36.
Ininthimevus. *Cap. barbarum.* 47.
Iotape. *Gammarus.* 72. 402.
Julia Procla. *Apollo ſedens.* 74.
Julia Domna. *Triumphus Bacchi.* 163.
Julia Germanici filia. 128.
Julianus. *Victoria.* 325.
Julius Cæſar. *Caput Auguſti.* 305.

L

LUcilla L. Veri. *Rex Mannus.* 158.

M

MArinus. *Roma ſedens.* 182.
Maximianus. *Tres puellæ.* 327.
Maximianus. *Imperator ſedens.* *Ibid.*
Maximinus & Maximus. *Neptunus cum Tritonibus.* 172.
Mithridates Pergamenus. *Herculis arma.* 62.
Alius diverſus. *Ibid.*
Moneta. *Salutaris.* 9.
Moneta Hebræorum. *Manipulus frumenti.* 332.
Moneta Judæorum. *Racemus.* 333.
Moneta Judæorum. *Tres ſpicæ.* *Ibid.*
Mytilenæus num. *Deorum figuræ quinque.* 24.

N

NAſica. *Cap. bovis.* 94.
Nero. *Figura ſenis.* 318.

O

OTho radiata corona inſignis. *Cap. incognitum.* 137.
Otho laureatus. *Caput Iſidis.* 140.
Otho argenteus tetradrachmus. *Aquila.* 142.

P

PErtinax. *Liberatis civibus.* 160.
Philippus F. Imp. *Tres furiæ.* 180.
Phthia. *Fulmen.* 65.
Plautilla. *Pegaſus.* 313.
Probus. *Lupa.* 323.
Ptolomæus Lagi, & uxor. *Ptolomeus Philadel. & uxor.* 55.
Ptolomæus Mauritaniæ Rex. 404.

Pythonices Reginæ num. *Cap. Tiberii.* 45.

R

RHeſcuporis. *Caput incognitum.* 43. 394.
Rhœmetalces. *Auguſtus.* 40.

S

SArdianorum nummi. 365.
Sardianus nummus maximus. *Raptus Proſerpinæ.* 28.
Sardianus mediocris. *Proſerpina ſtans.* 29.
Sauromates Rex. *Cap. Severi Imp.* 47.
Sebaſtianus tyrannus. *Roma ſedens.* 184.
Seleucus. *Quadr. Eleph.* 58.
Septimius Severus. *Meduſæ caput.* 148.
Sept. Severus. *Roma ſedens.* 149.
Serapis. *Inſcriptio Græca.* 2.
Seuthes. *Eques decurrens.* 38.
Silvanus. *Hermeros.* 21.
Smyrna Amazon. *Leo gradiens.* 31.
Smyrna. *Prora navis.* 337. 338.
Smyrnæorum Prytanes. *Cap. turritum.* 32. 33. 335. 371. 377.
Smyrnæi Sophiſtæ. 341. 343.
Sors. *Teſſera luſoria.* 14.
Soſii nummus. *Caput M. Antonii.* 95.
Suillii nummus. *Templum.* 101.
Suillii num. *Cap. Claudii Imp.* *Ibid.*

T

TAcitus. *Victoria.* 232.
Theſſalonicenſium nummus. *Cabirus.* 16.
Tiberius Eques. *Signa militaria.* 120.
Tiberius. *Auguſtus.* 123.
Trajanus. *Dictynna.* 126.
Trajanus. *Iuppiter infans.* 8.
Trajanus. *Serapis.* 132.
Trajanus. *Noctua columnæ impoſita.* 147.
Trajanus. *Caput Iovis.* 309.
Trajanus. *Genium Ioniæ.* 310.
Tranquillina. *Calathus plenus ſpicis.* 315.
Trebonii & Statii nummus. *Cap. Vulcani.* 96.
Tullius Cicero. *Angues duo.* 82.
Tullius Cimber. *Diana Epheſia.* 87.

V

VAlerianus. *Lunus Deus.* 105.
Ventidii nummus. *Cap. M. Antonii.* 187.
Veſpaſianus. *Iuppiter ſtans.* 144.
Veſta. 353. 354. 355. 367.

Vetranio. *Victoria.* 329.

Z

ZEnobia. *Spei typus.* 75.

SUMMA PRIVILEGII.

CAUTUM *eſt auctoritate Regis Chriſtianiſſimi, ne quis in Galliarum regno hac* Selecta Numiſmata Antiqua ex muſeo PETRI SEGUINI cum aliis tractatibus huic operi adjunctis, *abſque Joannis Jomberti conſenſu intra ſexennium excudat aut divendat : qui ſecus fecerit, indicta mulcta prout amplius in ipſo Regio diplomate continetur, coercebitur. Datum Chavillæ, die* 17. *Auguſti* M. DC. LXXXIV.

Sign. BULTEAU.

A0114768830

A8#

A0#